LONDON MEDICAL SOCIETY

20.

146

DISSERTATIO MEDICO-CHYMICA INAVGVRALIS *DE* SALIBVS DIGESTIVIS,

QVAM

CONSENSV

GRATIOSAE

FACVLTATIS MEDICAE

IN

INCLYTA VNIVERSITATE ALTORFINA

PRO LICENTIA

HONORES IN MEDICINA SVMMOS ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AD D. XXVI. FEBR. MDCCXXV.

H. L. Q. C.

SALOMO PEYERVS,

SCAPHVSA-HELVETVS.

ALTORFII NORICORVM

LITERIS MEYERIANIS.

Q. D. B. V.

PRÆFATIO.

EXORDIUM.

Cœleſtis & Mundanæ Sapientiæ diverſus ſcopus.

SApientia mundana *in indagine recti ac utilis ex* Adamitico, *imò* Satanico, hominis lapſu *&* corruptione *ſemper in id inclinat, quod* extra ſe *poſitum, aut quàm* longinque remotum *eſt, quodque ſenſibus* ſplendorem, *molem, magnitudinem adfert.* Divina *vero ſapientia* diſcipulos ſuos *myſteria docet in* ſimplicitate, humilitate, *inquirere ac invenire, atque ita omnem faſtus, ſublimitatis, multitudinis* ſpecioſum *ſplendorem* præterire, *imò omnem* amorem *ac* fiduciam *in viſibilia, externa, inferiora*, ad inviſibilia, interiora, ſuperiora, *magis* dirigere *ac impendere. Ex hac confuſione ac declinatione à via regia mens humana utiliſſima ac optima bona negligit, præterit ac rejicit, imò indies magis à fonte omnis boni, juſti ac utilis deflectit; contra verò in turbine cupiditatum per omnes nebulas fumosque in* vacuam piſcationem *navigat, imò indies magis deſideriorum inanitatem deprehendit. Quodſi verò in hac ſiti inexplebili tandem revertatur in pauſam ac* quietem evagantium cupiditatum *in creaturarum latifundio & abyſſo: tum reperit, veluti dormituriens, in tegmine ſimplicitatis ac tenuitatis*, quorſum apices ardentium deſideriorum *&* utiliſſimarum ſpecierum non poterant indicem digitum monſtrare. *Quivis caſus & occaſio in vita & actionibus humanis oſtendit hunc progreſſum verum & falſum, indicat mentis humanæ corruptionem quoad intellectus & voluntatis facultatem, monſtrat in quovis objecto obveniente tum adamitici lapſus genium, in creaturæ & viſibilis, non in Creatoris inviſibili conſilio & auxilio, ſpem ſuam ac deſiderium ponens; tum etiam ſatanici faſtus elationem, qua etiam in omni deſideriorum latifundio ad ſublime, rarum, magnum ſolùm vergit; præbet autem ſimul hodegum ad*

veram μετάνοιαν καὶ ἀλήθειαν, *qui nempe ſemper animum noſtrum ad humilitatem, ſimplicitatem, imo ad annihilationem ſui & creaturæ ex amoris ac fiduciæ inordinato affectu deducit.*

Non opus eſſe judicabitur à rei dextro ac ſciente judice, ut hoc aſſertum vel cauſarum congerie, vel exemplorum cumulo, vel teſtimoniorum numero confirmem, declarem, atque obſignem; ſiquidem quotidianus rerum uſus in vita humana uberrimam ſegetem nobis, proh dolor! proponit, ut hinc à vera animi tranquillitate tamdiu alieni vivamus, & in turbine artium ac ſcientiarum tam vacui verâ utilitate, neceſſitate bonorum animi & corporis maneamus.

Exemplo ſunt Media conſervandæ vitæ

Cum noſtri fori & ſcopi ſit ad medicas veritates & utilitates candelam ſimul ſocia manu adportare: placet ſaltim tritiſſimum exemplum *de* conſervatione nutritoria ſanitatis *adferre, quod* teſtimonio Divinæ *ac* humanæ rationis *invictiſſimo* panis *&* aqua ſufficiant, *omnibus numeris plena ſint media, nec* experientiæ *robore uniformi ac perpetuo unquam deſtituta. At quo usque aberrat in omnes fines creaturarum appetitus humanus ab hac ſimplici bonitate, & modò in his modò in aliis deſiderii conſervatorii deliciis quietem quærit, & pro tegmine utilitatis, neceſſitatis, jucunditatis varias rationales criſes ac dijudicationes adducit! Anne enim quidpiam reperitur in toto ambitu regni mundani per omne latifundium vegetabilis, animalis, & mineralis etiam theſauri, quod animus cupiditate æſtuans non prætereat, & pro conſervationis ſcopo inquirere ac experiri non geſtiat? Eo verò ipſo conamine magis magisque à vero tramite aberrat, qui nulla alia re, quàm nota ſimplicitate, certitudine, utilitate ſibi faſtidio eſt, & in gyrum tot & tam periculoſarum nutritionum in corporis, animi, fortunæ, tranquillitatis interitum delabitur. Negligit & faſtidit animus myriades exemplorum cum DEI & Naturæ legibus, quæ edocent, pane & aqua hominum ſanitatem ac vitam facillimè ac ſecuriſſimè conſervari,* labore corporis, *&* quiete animi roborari. *Quærit media*

his

his Divinis conſiliis adverſa & aliena, quibus tamen ad ſcopum ſuo arbitrio, ſuis deſideriorum illecebris, tutò ac certò pervenire poſſit, & eo ipſo per myriades exemplorum hoc ſcopo ſeſe vacuum invenit, imò indies magis longiùs remotum.

Pariter mens humana in indagine ac deſiderio mediorum reſtituendæ ſanitatis *in creaturarum omnigenam multitudinem, abſtruſam profunditatem, vaſtam ſublimitatem digredi nititur, & ita per totam vitam hominis & orbis anhelat ejusmodi imaginaria fictione ſibi ſculptas pharmacias, panaceas, myſteria, univerſalia, archealia, quæ vitæ, fortunæ, animæ, famæ, opum diſpendium ex cupiditatum ac contemplationum ſphæra non oblíterare valet. Eo ipſo verò miſera mens, effectu omni vacua, fumo, fucoque turgeſcens, ſimplicitatis viam regiam DEI ac Naturæ ductu, experientiæ ac rationis lumine, proprii & aliorum uſus fulcro, undique corroboratam, largiſſimoque greſſu tritam ſpernit, usque dum ex gyro errorum, fiduciarum, magnalium hermeticorum, tum in Galeniciſmi vilitatem, tum in avtocratiæ nuditatem deſcendere ac quieſcere cogatur. Contra verò, imò quàm planè, apertè, largiter Divina bonitas ſagaci menti obtulit & aperuit tritam ſemitam ab omni mundi ac hominis ætate infinitis & perpetuis exemplorum veritatibus comprobatam, reſtituendi ſanitatem læſam per* agentis interni facultatem innatam *ac inditam, ſpontanea eluctatione organum ſuum ab inſitis & adventitiis corruptionibus per ordinariorum motuum ſe- & ex-cretoriorum intenſionem avtocraticam reparandi & in ſalvum reducendi! Medicus hic internus tot millenis experientiæ teſtimoniis eſt aſſertus. Actuum depuratoriorum ejus ſollicita, proportioni materiæ adæquata adminiſtratio, imò ad debitum locum & tempus deductio eſt ille balſamus vitalis & perpetua panacea, quam miniſterium medicum vel ſola* abſtinentiæ *ac* quietis *ſimplicitate, vel ad ſummum* regiminis & pharmaciæ ſimpliciſſima parcitate, *ubique manibus jam obvia, adjuvare ac expedire, imo invitare valet.*

& reſtituendæ ſanitatis.

per Remedia

Quemadmodum itaque in his medicis, uti in aliis, neceſſitatibus Divina ſapientia hominum mentes ſemper ab ambitu, ſublimitate, multitudine ad paucitatem, vilitatem deducere, itaque ſimul Adami lapſum & Satanæ perniciem inductam, ſc. fidem in creaturas, aſcenſum ad ſuperbiam, oppugnare nititur: ita eadem hujus diſciplinæ occultæ opera in omnibus artis productis ſeſe manifeſtat, ut ſemper id, quod altioris proſapiæ eſſe cenſeatur in artificiorum cultura, minoris uſus ac certitudinis deprehendatur: contra verò, quæ firmioris ac probatioris neceſſitatis & utilitatis agnita ſint, illa ex neglectæ ſimplicitatis cenſu prodire cognoſcantur.

hermetica collata cum vulgaribus

Dicta hæc, ut ſpeciali exemplo, & individuali quaſi applicatione declarem; propono ſolùm mercaturam alchymiæ, ſive promiſſam ſive vendibilem ſumamus, varias tincturas ſolares, ſpiritus aſtrales, confortativa archei, ſive quo alio ſesquipedali nomine ac omine veniant, quot quæſo exempla vera probati uſus colligere poterimus, quæ vel leviſſimam partem pollicitationum adimpleant, imò quæ millies milleſimæ parti remediorum, largitate & ſimplicitate ſublimi oculo inviſorum ac rejectorum, in uſu quotidiano ad vitalitatem conſervandam ac reſtituendam comprobatorum, æquiparanda; ſcil. ſalis culinaris, imo & nitri? Horum efficacia, cum ab ipſo quaſi vitalis corruptionis initio innotuerit, & hactenus conſtante experientia firma valuerit; quæ cauſa eſt alia, quam dicta humanæ mentis in indagando & appetendo ſubſidio pernicies, ut magnalia in his minutiis, ut myſteria in hac ſimplicitate, ut abundantiam in hac vilitate inquirere, agnoſcere, atque apprehendere nolit?

uti ſunt Salia digeſtiva.

Quamobrem, cum mihi ſemper in miniſterio Medico, etiam ex Chymica ſuppellectili promovendo, & exinde pharmaciæ ubertatem capeſſendo, ſimplicitas myſteria ſuperaverit: propo-

PROPOSITIO.

nam exemplum de SALIBUS DIGESTIVIS, ut clarè pateſcat, quam ingrati in Creatoris munificentiam ſimus, qui ſua & nobis neceſſaria dona remoto velo aperuerit, quàm cæci ac

ſtupidi

ſtupidi in arcanorum fame, umbram pro eſca captantes, quàm vappidi in tumore cupiditatum, maturatos fructus reſpuentes, libentiusque fame uſus certi ac facilis pereuntes.

Proinde ſeriem tractationis his ordinibus concludam, ut I. *monſtretur* FVNDAMENTVM, cui uſus ſalium digeſtivorum eſt innixus *ad medicinæ internæ adæquatam promotionem, & quidem* 1.) MEDICVM, ex natura materiæ in mixtione animali cum ſalibus complicabilis, ac formæ, actum vitalitatis depuratorium & combinatorium cuſtodientis; *tum etiam* 2.) CHYMICO-PHYSICVM, ex natura mixtionis ſalium è terra & aqua, qua in animali mixtione pinguedinoſi principii cum aqua & terra combinatio difficilis, & diſſolutio facilis promovetur & impeditur. *Succedet* II. *demonſtratio* DOCVMENTORVM per ſeries *& claſſes* morborum therapevticas, in quibus Salia certum & indubitatum uſum, per undique ratione & experientia roborata teſtimonia præſtitere. *Denique* III. EXPERIMENTA *ipſa*, ordinem ejusmodi ſalium, numerum ac indolem in ſpecie cum ſingulorum analyſi chymico-medica *aperientia, ſubjungentur. Ultimò* IV. CAVTELIS *quibusdam* uſuum *rem totam concludam.* PARTITIO.

Quæ omnia ut in uſum verum medicinæ, chymiæ ac phyſicum contemplativum & effectivum, imò in emolumentum proximi, maximè verò in gratam piamque DEI Creatoris ac Benefactoris T. O. M. agnitionem, amoris, timoris ac honoris cultum humillimum, qui omnia vitæ conſervandæ ac reſtituendæ bona ac dona tam largiter homini lapſo elargitus eſt; quin imò in noſtræ mentis lapſus recordationem ac inverſionem, etiam hoc medico ſubſidio adjuvandam, quæ à Creatore ejusque conſervatorio ſimplicitatis ordine in his, ut in aliis, deflectit in fiducias vanas creaturarum ac cupiditates vanorum ſublimiumque auxiliorum; ut inquam ex ſcopo intentionis cedant, Divinæ Benedictionis opem humili mente imploro.

MEM-

MEMBRVM. I.
DE
FUNDAMENTIS
TVM MEDICIS TVM CHYMICIS USUUM.

TRACTATIO.

I. Fundamenta — QUemadmodum aliâs in ſubjectorum phyſicorum conſideratione ex ſpecialium affectionum habitu ad generalem interioris ſtatus naturam, & ita analytica methodo ad indaginem progredi ſolemus: ita hîc placet ſynthetico perſcrutandi ordine ingredi, & fundamenta generalia perluſtrare, quibus ſpecialior horum ſubjectorum habitus, maximè quoad uſum Medicum, eſt ſuperſtructus. Quamobrem præmittere placet FVNDAMENTA tum Medica tùm Chymica ad uſum therapevticum, quatenus ex ratione vitalitatis læſæ, reſtituendæ ac conſervandæ fluunt, & quatenus ad hujus actus adjumentum ſalia ex natura mixtionis à priori & ex indole utilitatis à poſteriori applicationem reperiunt.

I. Medica in — Conſiſtit verò hæc fundamentalitas, & quidem MEDICA, in *actus vitalis depuratorii* & *conſervatorii* per *motus ſecretorios* & *excretorios promotione*, & quidem id duplici via, una in *materiæ* tenacis *viſcidæ inciſione*, reſolutione, mobilitatis conciliatione, unde digeſtionis nomen deſcendit; altera in *motus* ipſius excuſſorii blanda & *leni ſtimulatione* ac irritatione, ex quo fonte ipſius motus à priori expeditio, demulſio ac temperatio ſuccedit, ut ex nimietate in ordinarium gradum ſtatus naturalis redeat.

vitalis — Hæc verò aſſerta fundamentalitas ut clarius intelligatur, ex phyſiologicis & pathologicis colligere poſſumus, quod *formalitas vitæ* conſiſtat in *mixtionis* (ex 🜄, 🜃 & o°o conflatis, utpote ad ſtructuram organicam ob actus ſenſuales teneram, & ob eorum exercitium durabile tenacem neceſſariò futuram) *conſervatione*,

& à

& à *putredinoſa diſſolutione* ac morte *præſervatione.* Hic ſcopus obtinetur per *motuum vitalium,* progreſſivi & tonici, perpetuum exercitium, quippe quo humores per ſe & ſui ſubſiſtentia facile coagulationem ac inſpiſſationem ſubeuntes ſub continua humorum transpreſſione per partes ſpongioſo-muſculoſas in debita fluxilitate conſervantur, partes verò ſolidæ ſocia opera ab omnibus inquinamentis corruptivis abſterguntur, impuræ verò corruptivæ & excrementitiæ partes in debitis colatoriis rejiciuntur, ſalutares verò ac nutritiæ in partibus pro reſtauratione apponuntur.

Hunc actum vitalem, reliquis actibus animæ, ſc. rationalibus, ſenſatoriis, motoriis &c. ſummè neceſſarium, *impedit* quàm maximè tum *materiæ viſciditas,* tenacitas, lentor, tum *excretionum depuratoriarum ſegnities.* *Promovetur* vero idem, ſi hæc dicta impedimenta vel *materiæ diminutione,* vel ejus *fluidificatione,* vel *motus promptitudine* auferuntur. Ut ita generaliter hauriri poſſit certitudo utilitatis digeſtivæ, quando ſcil. in miniſterio medico dicto actus internus depuratorius ita tranquillè expediatur per reſolutionem, inciſionem, attenuationem materiæ, & ſimul per excernendorum ſubtiliſatorum emotionem adjutam. materiæ

Cum verò *materia* craſſa *diverſi generis* & *gradus* exiſtat pro ratione humorum diverſorum in corpore, diverſorumque temperamentorum, ætatum, adventitiorum: tum *diverſæ ſpeciei digeſtiva* inde exſultant, quæ etiam varium & tamen uniformem finem adjuvare debent; ut v. gr. alia præparatio muciditatis in primis viis, alia in pectore, alia in renibus, alia in maſſa ſanguinea applicari poſſit: ex quo fonte tot claſſes ac ſeries digeſtivorum promanaverunt. præparatione.

Pendet verò hoc præparationis therapevticæ opus ſolum à miniſterio medico, ſiquidem *natura* avtocrator *nullam poteſtatem* habet, materialiter humorum vitia, & ita etiam *craſſitiem humorum corrigendi,* ſed ad extremum motuum tonico-ſpaſticorum intenſione pro ejus conquaſſatione, attenuatione ac remotione ſuccurrere nititur; quod opus, cum laborioſius ſit & neceſſaria

 tardius

tardius ad ſcopum deducatur, perquàm commodè digeſtionis externæ ſubſidio promovetur. Ita enim, ut unico exemplo rem declarem, quot motuum intenſiones ſuſcitantur ad excluſionem muci primis viis inhærentis, qui verò digeſtivis facilè lubricatur, emollitur ac rejicitur?

in ſe- & excretionis promotione

Cumque pariter humorum lentor *ſe- & excretionum ſegnitiem* inferat, ſiquidem omnes rejiciendi humores in ſeroſitatem ſalſam ſtimulantem abeunt, qui verò vappeſcentes hunc ſtimulum ſaponaceum amittunt: tum pariter digeſtio ſalina huic operi interno lentè ac ſalubriter ſine reliquorum motuum turba *ſuccurrit*. Proinde tum inteſtinorum, tum renum, tum pectoris aliæque viſciditates ita attenuatæ eò promptius tali ſtimulo conjuncto & humoribus excrementiis complicato abſterguntur. Sic ſalia recrementa digeſtionis primæ incidendo corrigunt, & ſaponacea abſterſione evacuant. Sic abſorbentia, nitroſa ſerum ſalſum acre in renibus imbibunt, colliquant, ac eliminant.

ſine alia vitalis materiæ ac actus turba,

Præcipuum vero commodum ſalia digeſtiva ſub hac materiali & formali correctione motus excretorii ejusque placida ſtimulatione adferunt, quod in *alia humorum materialitate motuumque ordinariorum vitalium ſucceſſu nullam turbam*, aut *impedimentum* inducant: Neque enim materiam ſanguinis oleoſam ſub attenuatione in expanſionem orgaſticam deducunt, more ſulphureorum volatilium reſolventium, neque motus ſe- & ex-cretorios placidè abſolvendos feroci ſtimulo præcipitant; neque humores ſalubres in nutritia gelatineſcentia coagulant, inquinant ac turbant.

Maximè ob maturum ſeceſſum

Quin imò ſi hi ſucceſſus *metuendi* forent ex ratione materialitatis, ſi hæc diutius in humorum maſſa remaneret: diſparet tamen hoc periculum, licet vacuum, ſi conſideretur, quamvis ſalſedinem talem cum naturali ſero ſalſo acri in ſanguine per perpetuam depurationem ac percolationem *maturè* iterum *ſecedere*, nec ita intimiore, uti ſulphurea reſinoſa, cum ſubſtantia ſanguinis oleoſa, complicatione diu gaudere, quod vel ſalis culinaris uſus quotidianus clarè edocere valebit. Prout

Prout autem dicta ratione ſalia digeſtiva neque in humorum materialitate neque in motu vitali depuratorio impedimentum, ſed potius poſitivam promotionem inferunt: ita inculcari meretur pro tanto ſecuriore ac aptiore applicatione, quod *nec* ſecundario effectu, aut aliqua conjuncta *tecta qualitate opus* hoc *depuratorium ſanguinis turbare* eadem experiamur. Qui uſus tutus certè magni momenti eſt, cum plura dentur ſatis efficacia remedia, quæ ob ejusmodi conjunctum effectum, ſecretiones & excretiones impellendo nimis vel cohibendo, adeò dubii fructus evadunt, eaque propter manum clinicam ita *trepidam* reddunt. Annon v. gr. *martialia* remedia ſatis efficacia ſunt tonum flaccidum colatoriorum organorum roborandi, lentores humorum attenuandi, ac cachecticas labes ita avertendi? At tonica facultas ſæpè abit in adſtrictionem, quæ reſolutione materiali neglecta, fluidificatione per potum, motum, diætam lubricantem humectantem, omiſſa, viſcerum periculoſas imò lethales obſtipationes poſt ſe trahit. Paria de *chinatorum* uſu minus ſollicito febrium medici & ægri conqueruntur. *Salia volatilia* vi ſua tonica excretiones in febribus acutis impediunt, & ita tumores œdematoſos facilè relinquunt. Sic ex alia claſſe *ſulphurea* reſolventia orgaſmum excitando ordinarium excretionum ſucceſſum æque impediunt. Myrrha potentiſſimum ſanè eſt reſolvens balſamicum: at facilè turgeſcentiam hæmorrhagicam generare valet, uti & aloe, aliaque balſamica. Proinde in clinica ſemper magni ponderis indago vertitur circa ejusmodi remedia, quæ in toto actu vitali placido conſervando & expediendo uſus ſecuritatem promittunt.

nec ullam peregrinam qualitatem adjunctam

Fundamentis hactenus allatis medicis illud momentum addo ad uſus ſalium digeſtivorum certitudinem, ſecuritatem ac neceſſitatem, quod in *reliquis actibus vitalibus, animalibus*, *nutritionis*, *generationis*, & his ſubordinatis mediis motibus *nullum damnum*, nullum *impedimentum*, ſed graviſſimum adminiculum undique adferant, & obſtacula horum actuum

quæ reliquis actibus œconomiæ poſſet eſſe noxia

inter reliqua oppoſita remedia promtiſſimè tollant. Ita certè *digeſtionis primæ* promotio in crudiorum ciborum concoctione, chyli attenuatione, oleoſarum partium combinatione cum aqueis, terreſtrium ſubactione cum oleoſo-aqueis, quàm optimè per ſalia digeſtiva culinaria, ut taceam, quorſum pharmacevtica penetrent, peragitur. *Sanguificatio*, lymphæ nutritiæ attenuatio: item *putredinis averſio*, ſolidarum ab inquinamentis abſterſio, ſeri prædominantis exturbatio ſalis intermedio adjuvantur. Ita & in *generationis* negotio mucoſitatum uterinarum inciſio, remotio, ac genuinorum motuum genitalium placida ſtimulatio per ſalia temperata quàm tutiſſimè peragitur; uti nimietas orgaſtica genitalis nitro temperatur, ita defectus motuum excuſſoriorum borrace, alcalibus &c. ſtimulatur. *Animalium* actuum promotionem, quod & quomodo per ſalium ſubſidium fiat, taceo pro veritatis aſſertione, cum facilè diluceſcere res poſſit à *contrario*, quantum vigor motus localis, quantum energia virium motricium in artubus per *æſtuoſa*, *anodyna*, imò ſæpè per *nervina*, *aromatica*, *balſamica* magis opprimatur. E contra motus vitalis pulſorii & tonici æquilibrium ſupra dicto modo introductum ac adjutum temperatiſſimum & certiſſimum ſubſidium reperit.

Nec agenti adverſa

Denique addo ſalium energiam in agens, num hoc immediatè eorum uſu turbetur, vel ſuſcitetur, prout mediata in id ex humorum ac motuum adjumento influentia hactenus eſt demonſtrata. Eſſe in agens remediorum efficaciam talem per humores & ſolidas partes, imo quaſi ſine tali medio, magni momenti ac decentis conſiderationis multa experimenta practica denotant. Sanè *opiata* narcoticaque *excretiones ſiſtunt*, activitatem naturæ in motibus excuſſoriis turbant, hebetant, ſupprimunt. *Adſtringentia vias* excretionum *occludunt*, & ita intentionem expellendi ſufflaminant. *Volatilia*, *oleoſa*, *ſpirituoſa* non ſolum materialitatem ſanguinis pinguem augent & *incendunt*, ſed *motum* expulſorium *præcipitant*, & ex placido depuratoriæ excretionis molimine dejiciunt. Taceo de *ſpecificis* experientiam,

ubi

ubi ſpeciales naturæ *moventis inclinationes ſufflaminantur.* Cujus generis influxus in agens a ſalibus ejusmodi digeſtivis nulla experientia teſtabitur, ſed docebit undique, *ſalia* eſſe *naturæ amica*, balſamum temperatum conciliantia, ejus motuum æquilibrium conſervantia. Unde etiam in ſpecifica naturæ temperatione ac excitatione ſalia *præ ſulphureis* blandiorem ingreſſum fovent: v. gr. Ita in veneris orgaſtica nimietate nitroſa blandiſſimè ſine reliqua vitalitatis turba refrigerant, quod ſaturnina aliaque non comprobant. In motibus congeſtoriis inæqualibus nimiis ſalia volatilia tutiorem toni æqualitatem reducunt, quam ulla alia. In appetitus errore & ferocia alcalia obtundunt roſiones naturæ turbatæ.

Sequitur jam ut alterum propoſitum exſequar, de ſalium digeſtivorum fundamento PHYSICO-CHYMICO *quoad uſum:* quod paucis perſolvi poterit ac debebit, ne longius à ſcopo medico recedere neceſſum ſit. 2) Phyſica

Conſiſtit vero hoc fundamentum 1) in ***mixtione ſalium ex terra & aqua:*** 2) *Ex qua* ***fluit facilis ſalium*** *in* ***genere quorumvis complicabilitas*** *cum* ***aliis mixtis***, ***aggregatis***, ***concretis*** *in* ***animali regno*** *ac* ***ſtatu:*** 3) Unde *pendet in confluxu cum concretis oleoſis, terreis, aquoſis in animali corpore, maxime humorum maſſa,* ***ſalium efficacia facilis vitia talia craſeos corrigendi.***

Salium mixturam in genere *ex* ***aqueo*** & ***terreo vitreſcibili principio*** ut demonſtremus ex phyſico-chymicis argumentis, hujus loci non eſt, cum de conſideratione medica ſolum ſollicitus eſſe debeam velimque. Monſtrat hanc duplicem elementorum quaſi, ſive corpuſculorum in ſale conſtitutivorum, ſpecie diverſorum, ſc. aquæ & terræ, præſentiam, ac intimam unionem, omnium ſalium facilis complicabilitas & cohæſio cum aqua & terra, cunctisque aquoſis & terreis concretis. Qui naturam mixtionis Chymicæ Salium ita penitius perſcrutari cupit, adeat acutiſſimi Chymici *D. D.* STAHLII ſpecialem & operoſam *dedu-* a. Status mixtionis ex aqua & terra.

deductionem de hoc fundamento mixtionis ſalinæ in Idiomate Germ. ſub tit. Beweiß von den Saltzen / daß dieſelbe aus einer zarten Erden / mit Waſſer iñig verbunden / beſtehen / in 8vo editam. Ita ſecundum BECCHERIANA & STAHLIANA principia *ſalia primæ mixtionis* ſunt *acida*, ex terra primordiali prima vitreſcibili & aqua in *acidum univerſale*, *vitriolo*, *ſulphuri*, *alumini*, imo *aquis*, *terræ*, *aëri*, ad- & inhærens. Quando terra ſecunda φλεγιςὴ intercedit, *ſal nitroſum*; quando tertia terra primordialis, ſc. mercurialis fluidificans admiſcetur ſali, acidum *ſalis communis* prodit. Acida ſic dicta ſunt hujus mixtionis primæ. *Alcalia* conſtant ex *acido vegetabili* mixtioni interſperſo, qua per combuſtionem diſſoluta acidum tale *terræ vitreſcibili* illiqueſcit, & ſal ita producit proximæ ac intimæ combinabilitatis & eſſentialitatis cum acido. Conſtat vero alcali tale pariter ex terra & aqua; unde cum utraque facile combinatur, in deliquium fluendo & in vitrum illiqueſcendo. *Alcali volatile* ex *animali* regno continet *pinguedinoſam* & *mercurialem terram* in ſe. *Hæc ſalia duplicis generis* facilem & intimiorem unionem ſubeunt ac *generant ſalia* ſic dicta *neutra*, *media*, quæ utplurimum digeſtivorum naturam habent.

b. complicabilitas cum mixtione animali.

Alterum fundamentum, ſcil. PHYSICVM in ſalium digeſtivorum uſu medico eſt dicta **complicabilitas cum mixtione animali**, quæ conſtat ex mucido - terreo - oleoſo - aquea ſubſtantia; à qua pendet 1) facilis efficaciæ ejus ingreſſus in mixtionem animalem læſam. 2) mixtorum animalium conglutinatio hoc medio adjuvanda. 3) abſceſſio peregrinarum materiarum hoc cuneo promovenda.

Hoc ut firmo talo innixum demonſtretur, notandum, quod *mixtio animalis ex terra*, *oleo*, *&* *aqua*, principiis ægerrime cohærentibus, *motu* inteſtino et progreſſivo in combinationis perennitate debeat conſervari, & ſub hoc motu partes tenuiores terreo-aqueæ in intimiorem combinationem ac *geneſin ſalinam*

traſeant

tranſeant (unde urina animalium nullo ſale paſtorum leni inſpiſſatione ſal verum cryſtallinum dejicit), quod ſeroſitates ſudorum & urinæ ſenſui crudo manifeſtant. Atque ita mixtio talis oleoſo-aquea *vinculum combinans* à ſalis interna geneſi nanciſcitur, uti talis ſcopus externo *ſubſidio ſalinæ conditura promovetur*, cujus uſum & fundamentum hoc poſitum ne plebeja quidem experientia aut ratiocinatio negare aut rejicere valebit: ſiquidem culina cruda indicet, cibos non ſalitos vappeſcere, vappidum nutrimentum producere, vappidamque carnem generare.

Hoc vinculi fundamentum ut experimento pari ex *vegetabili* mixtionis unione demonſtretur: propono *ſaponis* mixtionem ex oleo & aqua intermedio ſale, cujus ope pinguedo non ſolum magnam copiam aquæ in mixtionem & aggregationem ſuſcipit, ſed etiam, ut tota pinguedo talis facile in aquam diſſolvatur, efficitur. Sic *vinum* eſt mixtum ex aqua & oleo: muſtum eſt ejus mater, crama mucido-oleoſum; quod motu inteſtino fermentationis diſſolvitur, partes oleoſæ & aqueæ tenuiores abſcedunt à terreis fæculentis, & ſalis medio, ſub motu fermentativo generati, in mixtum vinoſum combinantur. Hoc mixtum vinoſum, quando ſalis tenuioris vinculo & augmento *acuitur*, tanto magis intima aquæ & olei combinatio ſpirituaſcens creſcit. Id docet ratio *ſulphurandi* vina, qua ſpiritus ſulphuris combuſtione ſolvuntur, volatiliſantur & intimè particulis vini immiſcentur, iisque cohæſibilitas nova affertur: Dahero die geſchwefelte Weine ſtarck und dauerhafft werden; quod etiam *ſpiritus vitrioli volatilis* affuſus facit.

Tertium hujus fundamenti *productum* & effectus declarabitur facile experimentis & *documentis* phyſicis ac medicis. Quando acida ſalia v. gr. omnis generis terras, metalla, mineralia, lapides ſolvunt, & ita in terream aggregationem complicantur, accedente ſale alcalino cruditates terreæ ſubito ſecedunt à fluida tenui aqueo-ſalina mixtione. Pariter ex hoc τῷ ſimili *chymico* dilu-

c. Inde energia vitia craſeos correctoria.

dilucefcit veritas in animali mixtione, quæ ſalis interventu particularum terrearum, mucidarum, corruptivarum præcipitationem ac detruſionem quaſi nanciſcitur, ut ita puriores tantò ſimpliciorem, intimiorem, ac faciliorem unionem reperire poſſint: quæ exempla *phyſiologica* confirmant: Sic *bilis* eſt humor ſalſo-acris, gaudens ſaponiformi vi abſterſiva muci inteſtinalis, clyſteris inſtar naturalis: illiquando in crama chymoſum præcipitat fæces terreas ac ſeparat à chylo nutritio; unde bilis acrior laxativas abſterſiones auget, inertior vero lentorem fæcum & alvi ſegnitiem inducit: illud evenit in cholericis & bilioſis commotionibus; hoc in ſpleneticis hypochondriacis obſtipationibus. Sic ſerum *urinarium* ac *ſudorum* acrius, tenuius has excretiones intendit; viſcidius vero impedit ac remoratur. Quodſi itaque ſeroſitates ejusmodi per remedia acria, amara, ſalſa acuantur, tum impuritates ſeroſæ, terreæ, ſulphureæ præcipitantur, eoque largius ac promptius evacuantur, quod experimenta *diaphoretica*, *diuretica* varia ſatis declarant.

Ἀνακεφ. Ex dicta hac cauſalitate fundamentali uſus digeſtivorum veritas ſatis pateſcet, & in ſubjungendo documenta vera ſynthetico indagandi ordine haurietur; ſcil. cauſa fundamentalis medica deprehenditur in digeſtivorum indemni, imo utili influxu in materialitatem ſanguinis, in motus vitalis depuratorii promotionem, in reliquorum actuum naturalium robur, imò ipſius agentis excitationem; phyſica verò pendet ex natura mixtionis ex aqua & terra, qua complicabilitatem facilem init cum mixtione animali, ibique tum unionem elementorum ſanguinis promovet, tum ſeceſſionem impuritatum.

Membrvm II.
DOCUMENTA USUS SALIUM DIGESTIVORUM, NIMIRUM SERIES ET CLASSES MORBORUM, IN QUIBUS SALIA DIGESTIVA INDICANTUR IN GENERE.

QUisquis myſterium ſanitatis ſalvæ ac læſæ, totamque œconomiam vitalium motuum ſ. & p. n. pernoſcere valet tum in genere, tum in ſpecie ac individuo: is in lucta tali naturæ contra læſiones & corruptiones perquam facile deprehendet, quid & quomodo miniſterium Medicum ſubordinando agere debeat. Indicatio generalis.

Unum vero negotium inter alia potiſſimum ſibi relictum cognoſcet miniſter naturæ, quod, cum agens vitale morborum excuſſionem ſolum per motuum depuratoriorum intenſionem exequi capax ſit, materialem verò humorum correctionem minus poſſit perficere, hoc opus præcipue ſubſidio therapevtico ſit relictum; adeo ut medicus ſollicitus eſſe debeat, quomodo materiam ad excuſſionem mobilem ac habilem per varia genera reſolutionum, attenuationum, inciſionum, præcipitationum &c. poſſit ac debeat reddere; reliquum vero magis naturæ vergentiæ relinquere, eam expectare, expedire, aut ſtimulare, imo ad ſummum in commodiorem locum, commodiusque tempus ducere. materiæ morbidæ præparatio.

Quod ſi itaque digeſtivorum uſum his ordinibus ſuperſtruere in ſpecie velimus, prout generalia fundamenta in præcedentibus ſunt poſita: tum iterum generalia documenta & hic reperimus, 1) quod illa inducant, promoveant, promittant præparationem ſpecialis triplex.

 tionem

tionem materiæ ad motum, & quidem excuſſorium; 2) quod hæc præparatio fiat materialiter immediata materiæ materiali diſciſſione ac ſubti iſatione; 3) quod hoc fiat ſine reliquæ materiæ ac motus vitalis turba, ſed potiùs placida motus avtocratici executione.

Quamobrem *ſpeciales caſus morborum* veluti documenta hic afferemus, qui his fundamentis innituntur, quique à poſteriori & experientia legitimum ſucceſſum digeſtivorum confirmant.

a. in læſione primæ digeſtionis.

Quæcunque vitia ac læſiones actus nutritorii, *maximè primæ digeſtionis ciborum*, ſcil. *morbi ventriculi* & *inteſtinorum* varii nobis obveniunt, *variæ cruditates concoctionis*, *anorexiæ*, *cardiogmi*, *cardialgiæ*, *colicæ humoroſæ*, *diarrhœæ*, *lienteriæ ac cœliacæ paſſiones*: &c. iis perquam ſecurè ac certè obviam ire poſſumus per digeſtivorum uſum, ſiquidem hac ope muciditates à cibis inductæ inciduntur, & ad excretionem aptiores redduntur; ſicque motus ſpaſtici, preſſorii opprimuntur, ac diſtenſiones, flatulentiæ avertuntur. Quod quidem evacuationis *emeticæ* vel *catharcticæ* conſilio utplurimum *præferendum*, maximè *in ſenſibilioribus, ubi cruditates*, quando *nondum* ſunt *concoctæ*, multum laboris imo damni in præcipiti evacuandi ſubſidio progignunt. Unde uti per ſalia media tales errores gulæ quàm tutiſſimè curantur: ita, ſi quid ex pharmacia depromere placeat, præſtat *digeſtiva* omni purgationi, roborationi ut præponantur, ad minimum præmittantur.

b. In F. intermittentibus

In *febribus intermittentibus* methodus per digeſtiva curandi & dogmaticis & empiricis placet, utpote experientia ſolida comprobata, ut omnes aliæ methodi ac artificia huic viæ longè, ut incerta, poſtponenda veniant. *Fundamentum* huic innititur talo. Febres intermittentes cauſam materialem continentem habent mucum tenacem viſcidum in primis viis à crudiore digeſtione reſiduum & firmius adhærentem. Hunc mucum actui digeſtionis non ſolum, ſed reliquæ vitalitati noxium, natura expellere nititur motu febrili: unde ad eundem e- ac demollien-

molliendum ſub frigore humores ad interiora congerit, quo tandem mobilis redditus vel *ἄνω* vel *κάτω* evacuari poſſit; quod fit utplurimum naturali molimine, & ſuccedit pauſa actuum febrilium. Inde patet, quam opportunum & congruum opus ſit in miniſterio medico, materialem correctionem & inciſionem muci, naturæ poteſtati minus ſubjectam, digeſtivorum ope adjuvare, atque ita excretionis ſcopum facilitare. Is eſt hujus intentionis ſucceſſus, ut experientia teſtetur uberrima, quod febres intermittentes ita ſalutariter exeant: contra verò ordine hoc *per chinata* ſimiliaque *adſtringentia ſuppreſſò*, variæ *viſcerum obſtructiones* & labes cachexiam, hydropem, hecticam, malum hypochondriacum poſt ſe trahentes gignantur, alia via non *recedentes*, quam febris revocatione ritaque curatione *per digeſtiva amara* aperientia.

In **acutis febribus diverſæ indolis** *digeſtiva* tum *ſalina incidentia*, tum *temperantia*, tum *terreo-colliquantia* ſecuriſſime uſurpantur ad impuritates humorum motu ſanguinis progreſſivo aucto exturbandorum, præcipitandas, invertendas, ſecretioni aptiores reddendas. Hinc natura in blando ſuo ſtato critico typico molimine optime adjuvatur: *contra* vero per varia heroica non ſolum *emetica*, *purgantia*, *miſſiones ſanguinis*, ſed & per *ſudorifera* magis turbatur; per *adſtringentia*, *terrea*, *opiata*, *refrigerantia* impeditur. Quamobrem tum abſorbentia cum acido tartari, vel vini, vel citri in ſalinam colliqueſcentem naturam traducta, tum temperantia nitroſa, tum incidentia ex alcali vitriolato inſignem digeſtivæ præparationis operam hic præſtant. Hac ratione in acutis *inflammatoriis*, *malignis*, *exanthematicis*, *cholericis* paroxyſmorum incrementa & impetum infringere poſſumus una & altera doſi, ut ſub ejus exitu excretio impuritatum per diapnoen, diureſin, per ſe placidè ſuccedat. Imo *hecticis* & *lentis* conſumptionibus ſecuriorem temperationem afferre non valemus, quam per dicta *colliquantia ſalſo-terrea* ex abſorbentibus oſtraceis acido vegetabili ſemiſaturatis.

c. F. acutis.

ratis. Quin & in pueris tenerioribus lentis conſumptionibus ac phlogoſibus hecticis optimè obviam it mixtura ex abſorbente cum ſucco citri paululum ſubacto.

d. In pectoris affectibus. ***Mucus pectoralis***, varios infarctus & affectus *tuſſiculoſos*, *aſthmaticos*, *catarrhales* generans, reſolvitur, & ad expectorationem ac diſcuſſionem optimè habilis redditur per digeſtiva, maxime in ſanguineis calidioribus, ubi mucus majorem tenacitatem ac ſiccitatem facilè induit. Sic in *aſthmate convulſivo* ſpasmodico, in *catarrhis ſalſioribus ſiccioribus* pulveres digeſtivi ex arcan. duplic; nitro, cinnab. nativ; egregiam muci expeditionem adferunt. In *tenerioribus*, infantibus, pueris, facile oppletioni pectorali obnoxiis, vulgata expectorantia ex *ſperm. cet; ſulphure* &c. experientia teſte, *optatum ſucceſſum non* conciliant, imo majorem ventriculi atoniam ad minimum adportant: contra vero *mixturæ* in lentis febribus modo commendatæ, ex *abſorbente ſalſo colliquante* cum *aquis diapnoicis* inſignem & ſecurum uſum adferunt. Qua ratione reliquæ *diſcuſſiones* per alexipharmaca, catarrhalia, lignoſa eo *tutius ſubjunguntur*, ac expectorationes per *dulcia* eo felicius *omittuntur*.

e. In renum ac urinæ morbis. Seceſſiones ***muci ad renes***, varias ***renum*** & ***urinæ læſiones*** poſt ſe trahentes; ſcil. *calculi* geneſin, *dyſuriam*, *iſchuriam*, *renum inflationes cum orgasmo* ſtipatas, & *ſtagnatorias deſtructiones*, diſſolvunt ac ad plenarium exitum promovent digeſtiva ſalina. Hinc in variis ejusmodi humorum acrium calidorum ſtaſibus compoſitiones ex alcali vitriolato, nitro, ſolut. matr. perl. &c. præſtantiſſimam nephritico-anodynam, & ſecuriſſimam energiam diureticam fœnerantur. In *tenerioribus* etiam, ubi ex hæreditaria diſpoſitione vel diætæ vitio renum obviſcationes, urinæ ſuppreſſiones, calculi veſicales &c. prodeunt ac metuuntur, *ſolutiones ſalſæ* ex lap. cancr; percar; arcan. dupl; in tenui doſi ſufficiunt, maximè vero *aliis diureticis* ſecuritate ac utilitate *præferendæ* ſunt, tantò magis in hac & alia ætate *anodynorum fallacias* obtundunt.

Quando

Quando *reliqua viſcera lien, hepar, uterus, glandulæ meſeraicæ, infarcta* vel *obſtructa* ſunt; digeſtiva partim *per ſe* inſigniter reſolvunt, partim *aliorum* penetrantius reſolventium *amarorum, gummi-reſinarum, balſamicorum* virtutem recludunt, exaltant, partim *martialium* tonicorum roborantium vim ſubadſtrictoriam corrigunt ac mitigant: Unde in variis chronicis *hypochondriacis* infarctibus, *ictero, cachexia, atrophia*, deſtinatum uſum actu exerunt, tum reſolvendo mucum infarctum indeque aperiendo meatus obſtructos, tum ſtimulando excretiones ex humorum inſpiſſatione lenteſcentes. *f. in viſcerum infarctu.*

Sic etiam *artuum varii dolores & paſſiones* ex *rhevmaticis, arthriticis, ſpaſticis, ſtagnatoriis* affectibus temperatam ac certam reſolutionem materiæ, remotionem ſtaſeos, temperationem motus ſpaſtici acquirunt per digeſtivorum uſum. Sic pulv. ex tartar. vitriolat; nitro depur; ſolut. conch; cinnab. nat; in motibus arthriticis vagis & fixis, in capitis doloribus æſtuoſis, ſpaſticis variis, in inflamationibus externis æſtuantibus ſecurum ac certum uſum exerunt. Quin imo, ſi motus ejusmodi internas vitalitatis turbas poſt ſe trahant, febriles æſtus ſuſcitent, aut *retroceſſiones* poſt ſe relinquant, uti in *podagra retrograda* fieri ſolet: tum tanto tutius ejusmodi digeſtione temperatoria interna talibus eventibus peregrinis occurrere valemus. Adjungo his uſibus auxilium, imo, ut parcius loquar, lenimen ſolum in motibus *ſpaſticis acerbioribus, convulſivis, epilepticis*; ubi certe varia antiſpasmodica ſpecifica fruſtraneum, vel ſaltem haud illum tantum promiſſum effectum inducunt, ut in clinica epicriſi ſæpius ab ejusmodi pollicitationibus ſeſquipedalibus recedere, ac in temperata apertione viarum, materiarum, motuumque per ſalia præparantia acquieſcere debeamus. *g. in arthriticis affectibus* *itemque convulſivis*

Suffecerit has claſſes affectuum pro documentis manifeſtis ſalium digeſtivorum uſus comprobantibus recenſuiſſe. Non opus eſſe, quispiam rei gnarus ac dexter arbiter judicabit, ulterius ſpecies individuales morborum enumerare, & particulares

 appli-

applicationes per formulas enarrare, ſiquidem & dogmatum medicorum tyrones hanc apertam viam premere poterunt, nec quicquam ulterius in applicatione tali ſupereſſe ſibi perſpicient, quàm ut dextro applicandi judicio ſingula ſingulis adaptent, quod quidem etiam in ſumma ubertate tantos defectus relinquet, qui nec legendo nec ſcribendo adimpleri valebunt.

MEMBRVM III.
EXPERIMENTA
USUS
SALIUM DIGESTIVORUM
RECENSENDO
SPECIES VARIAS, EARUMQUE HABITUM AC USUM.

Exempla ex generali abundantia.

QUemadmodum, uti in introitu dictum, hominum perverſa libido ſemper ad aliena, incognita, abſtruſa auxiliorum centra terebrare nititur, & ſimplicia, deſtinata, oculis manibusque Creatoris ſcopo propoſita, faſtuoſe ex ſublimitatis ac multiplicitatis deſiderio deſpicit: ita & alia perniciei humanæ ſpecies ſimul egreditur, quod in *multitudine omnigena* ſemper ingrata varietas de defectu queratur, & materia etiam medica, uti abundantia ciborum ſumma in ſui ſuperfluiditate, ſitim adimplere nequeat. Fundamentum hujus corruptæ ac damnatæ cupiditatis eſt, quod miſer homo ſemper optet ac deflagitet ſuppeditationem ſubſidii contra ac præter naturæ ordinem, ſub cujus tutamine libere voluptatibus indulgere poſſit, ac ſine earum detrimento cito, tuto ac jucunde errores & vitia libidinis in cuticulæ conſervationem iterum delere. Quamobrem prout & in hoc capite corrupta mens à via recta deflectat, ac Divina benignitas in largo ſuo promptuario ab elato ingratæ voluptatis

faſtu

faſtu carpatur perquam indigne : per EXPERIMENTA & exempla uberrima ibo demonſtratum.

Digeſtivorum ſalium numerus cum in claſſes acidorum & alcalium, & ex his compoſitorum mediorum neutrorum ſe expandat; neutra vero in ſpecie in cenſum digeſtivorum recipi ſoleant: placet ab eorum *collectione* initium ducere, ac titulotenus ſaltim, quæ huc ſpectare videbuntur, adferre. I. Salia media.

SAL COMMUNE CULINARE eſt *communis theſaurus digeſtionis medicæ*, quem ſapientiſſimus artifex & benigniſſimus conſervator generis humani ac animalis in *uberrimo* promptuario *fontium* ac *montium* compoſuit & elargitus eſt, ut hoc *balſamo*, *condimento*, *medicamento naturali* quaſi, largiter ac ſalutariter frui queamus, *ſine* defectu aut *noxa* facile metuenda. Sterile eſſet opus, homini rationis aliquali ſaltim ſcintilla prædito uſus neceſſitatem, utilitatem, ac quaſi fundamentalitatem, demonſtrare, cum inſulſi cibi nemini non faſtidio ſint, & in detrimentum cedant. Plebs ipſa etiam ridet *ſcrupulos* ac *hypotheſes inſulſas* illorum, qui mox coagulare humores, mox rodere nervos, mox viſceribus fremitum inferre ſali tribuere, atque hinc inculpare allaborant condimenta mixtionis vitalis ex veſano chymiſandi pruritu. Quodſi in ſtatu ordinario ac naturali ex ubertatis vilipendio illud demens rationis ſublimitas capere nequit: producunt aniculæ & agricolæ larga exempla per ſalis communis unum & alterum cultelli cuſpidem cruditates ciborum ex halecum, lardi, piſcium &c. abuſu perquam prompto ac certo experimento corrigendi, imò febres intermittentes exinde coortas ita pariter certo, tuto, cito ac jucunde curandi. Rident præterea ſcrupulos ex delicatulis ægris ac medicis, qui *calculorum*, imo *arthriticorum* affectuum geneſin ſali tribuunt, indeque parcum uſum injungunt, cum agreſtis & plebeja vita ac diæta ſali non parcat, & tamen ejusmodi proventibus calculoſis & ſabuloſis, uti tenerorum balſamatio per vinoſa, aromatica, non oneretur. Quinimò experientia vulgaris docet, quod in calculo mucoſo ſucculento- a. Culinare.

rum ſanguineorum uſus ſalis largior eminenter proficuus evadat, ad mucoſorum concrementorum diſſolutionem, adeoque tartareis ſic dictis morbis medeatur. Cumque Divina benignitas *diverſo* gradu ***ſalis communis*** etiam humanæ indigentiæ proſpexerit, ut ſalia ***fontana à montanis*** non ſolum diſcrepent acrimonia, ſed etiam ***fontana inter ſe*** diverſum gradum ſint ſortita; ſiquidem phlegmatica, terreſtris, mucoſa temperamenti conſtitutio largiorem & acriorem ſtimulum ſalis exigat ac toleret, quam cholerica, tenerior, æſtuoſior: ita etiam *uſus accommodandus huic diſcrimini* nititur; ut & mulierculæ hanc culinarem criſin obſervare ſciant, ac in diæta puerperarum, hecticorum, valetudinariorum, parcius ſal immiſceant eſculentis. Ex his qui ***ſale marino*** utuntur loco communis, approbant ab experientia ſubſtitutionem, cum & nephritici ſenſibiliores inſigne levamen inde ſortiantur: ſiquidem mixtio ſalis marini ob pinguedinoſorum in latifundio maris oberrantium cramatum in naturam ſemi-nitroſam tranſit, quam miſcelam etiam chymica experimenta edocent. Inde etiam eſt, quod mulierculæ non ſolum in culinari obſervatione ſal commune cum quarta vel octava parte nitri temperare, & ita carnes in intimiorem rubellam balſamationem condire didicerint, ſed etiam talem *mixturam* tenerioribus & calidioribus conſtitutionibus pro condimento ſuadeant. ***Sal digeſtivum Sylvii*** (ex reſiduo ſpiritus ſalis armoniaci elutum) nil aliud eſt, quam ſal commune, niſi quod loco terræ fluidæ alcali purum acido ſalis communis ſit aſſociatum, aliumque quam majoris acrimoniæ, ſtatum ac effectum non exerit, unde celebritas ejus diſparuit. Quemadmodum itaque ſpiritus ſalis communis acidus tum in mixtione cum terra calcaria, tum cum ſale alcalino puro in ſal neutrum digeſtivum tranſit: ita & idem habitus ac effectus medicus prodit, ſi vel ſpiritus idem acidus cum alcali volatili combinetur, uti eſt ***ſal ammoniacum***, quod digeſtivorum naturam & uſum pariter adimplet, vel ſi terra ſalis communis cum alio acido, uti eſt vitriolicum, conjungatur, qualis com-

compoſitio prodit in *ſale mirabili Glauberiano* ex ſalis ſpiritus capite mortuo elutriando, quod *ſali Ebshamenſi* Anglicano effectu par, imò præferendum in abſterſorio laxativo ſcopo.

Patet ex his paucis, quam largam ſuppellectilem œconomiæ vitali ditiſſimus Creator ſit elargitus in promocondu ſalis communis, per montes & fontes, perque totum latifundium maris diſperſi, ut ita viſciditas humorum, nutrimentorum maturam ac ſufficientem reperiat attenuationem non ſolum, ſed etiam pinguedinoſa elementa cum aqueis vinculum combinabilitatis ſortiantur. Sic etiam in iis, ubi oleoſitas terreſtris muci prævalet, aliud mare *per omnem geocoſmum* mirifico artificio expanſum eſt, depromens ſal magis temperans, obtundens, balſamicum, oleoſitatis effectus orgaſticos acres corrigens ac impediens; ſc. NITRUM, cujus omni ratiocinationi, ut ita dicam, & admirationi ſupereminentes qualitates ac energias humanæ omnis ſapientiæ ac experientiæ ſagacitas inquirere, comprehendere ac efferre pro merito nequit. Profecto Creatoris clementia in nitri geneſi aperuit ſublimem ſapientiam in humili ſimplicitate, dum quintam, ut appellant, eſſentiam ſulphureo-oleoſi elementi ex *pinguedinum ſtercoraria ſentina* educit, in balſamicam puritatem effert, & in deliquida conſiſtentia mixtioni animali pro temperie ac vinculo oleoſitatis cum aqua offert. Quanta *balſamicæ temperationis* energia itaque inſit ſali huic naturali aëreo, vel *conditura carnium* denotat, dum incorruptam ita durabilitatem, guſtui, maſticationi, digeſtioni gratam ac facilem induunt, ut taceam, quod ipſe *ſanguis*, celerrimæ aliàs putrefactionis, conquaſſatione cum nitro conditus tuitionem a præcipiti corruptione ſatis longam nanciſcatur, qua in thermometri uſum tranſire valeat. Annon ejusmodi culinaria experimenta indice digito viam in *uſus nitri polychreſtos medicos* nobis monſtrare poterunt, & veritatem omni aſſeveratione confirmare, hoc tam largum ac ſalutare concretum cœleſtis ſapientiæ, potentiæ, ac clementiæ nutu toti animali generi in ſalutem eſſe datum; prout fraus, fu-

b. Nitroſum.

D ror.

ror, ac malitia Satanæ in interitum humani generis illud uſurpat? Profecto per centenarios uſus pulveres nitroſi præmonſtrari poſſunt conſtantis, certi, ſecuri, neceſſarii, utilis effectus ad *temperationem orgasmi* in motu, & *acrimoniæ ſulphureæ* in materia; & hinc ad mitigandos, ſupprimendos, avertendos varios inde pendentes affectus *febriles*, *hæmorrhagicos*, *dolorificos*, *ſpasmodicos* &c. prout ſpecialis applicatio in nauſeam ac contemptum ſuperbæ & ingratæ ſapientiæ humanæ pluribus & à pluribus eſt manifeſtata ac demonſtrata. Quodſi ullo ævo medicina quædam ſub panaceæ, univerſalis, ſolaris aut ſimili ſpecioſo titulo fuiſſet prolata, quæ per omnes regiones, tempora, temperamenta, ætates, ita æqualem, conſtantem, certam utilitatem exeruiſſet: quo quæſo pretio & honore hæc foret digna cum ipſo autore? At cum Divinum artificium ac donum tantum ſimplicitati ita largæ, ita facili, ita promptæ ſit involutum, faſtidit ingrata & vagabunda hominum arrogantia, eoque ipſo juſto judicio in turbine medicorum ac chymicorum errorum, fumorum, fucorum, ac ignium fatuorum oberrat. Unum generali uſus commendationi adjicere placet obſervationis medicæ phœnomenon, quod multi ſimplicitatem reſpuentes & artificia contra affectantes pro *ſimplicis nitri* uſu, ſalſum ſaporem fugientes, vel meliorationem quæſitantes, præparata nitri liquida elegerint, unus ſpiritum nitri dulcem, alter eſſentiam nitri balſamicam, ſc. oleum nitri cum 3. partibus Spir. Vin. rectif. dulcificatum, ſubſtituere ſint conati, at malo eventu, ſiquidem blanda, uti à nitro puro provenit, temperatio materiæ motusque orgaſtici non ita certò ſuccedit, ſed potiùs motus præſertim diuretici exacerbatio parum frugifera, præter alias peregrini effectus turbas. Quod ſatis edocet, quanto opere indigeat humana extravagatio, ut libido ſublimiorum, arcanorum, alienorum in ſimplicitatis tritam ſemitam reducatur. Addo aliud phœnomenon, nitri commendationi obicem ponere viſum, ſcil. quod nitrum acrimoniæ ſulphureæ obtuſione coagulationem humoribus inducere incuſetur,

tur, quod detrimentum adventitium facilè digeſtivorum alcalino-vitriolicorum, nec non abſorbentium parca admixtione corrigitur, ac occupatur. Hæc emendatio ſuccurrit etiam alteri vitio, quod nitroſa facilè ſub largiore uſu ventriculum nimis refrigerent, & ita ejus tonum deſtruant; qua cautela in æſtuoſis, ubi nitrum indicatur, non opus, & ubi opus eſt, pariter digeſtivorum vitriolicorum admixtione, & prudenter moderando uſu, illa expletur.

Progredior ad ſalia digeſtiva ex ACIDO VITRIOLICO cum ALCALI FIXO mixto conſtantia, quæ diverſæ quidem quoad externum apparatum indolis, at quoad internum mixtionis & inde etiam pendentis effectus ſtatum unius ejusdemque naturæ ſunt. Conſtant enim ex *acido* illo *univerſali*, primogenio, per *aërem*, *aquam*, *terram* expanſo, ac uberius in *vitriolo*, *ſulphure*, *alumine* collecto, & ſimul ex *alcali fixo ſale*. Unde ſal neutrum octoëdræ figuræ, ſaporis amaricantis, virtutis blande ac inſigniter incidentis, reſolventis, prodit. Talia ſalia digeſtiva inter reliqua κατ' ἐξοχὴν ſuperius allatos effectus, vitalitati quaſi amicos, maxime in vitiis primarum viarum & renum, exerunt. Nec tenerioribus ſubjectis ſunt gravia, nec robuſtioribus inertia: Nec ſenioribus cruda, nec junioribus draſtica. Corrigunt viſciditates primæ, ſecundæ, ac tertiæ digeſtionis. Corrigunt vitia nitroſorum acidorum coagulativa inſpiſſativa. Corrigunt martialium, terreorum &c. adſtringentium ſtipticas qualitates. Nec minus etiam corrigunt purgantium roſiones, viasque humores incidendo ac colliquando ad catharſin præparant. Sunt vero hujus generis

c. Vitriolicum.

Tartarus vitriolatus tum ſic dictus communis ***Zwvelferianus***, tum ***Tachenianus***. *Ille fit* ex ſpiritu vitrioli oleo tartari vel ciner. clavell. per deliq. inſtillato ad ſaturationem; *hic* ex ſolutione vitrioli & alcalini ſalis dicti commixtione, filtratione ac inſpiſſatione ad cryſtalliſationem. Utroque cryſtalliſationis modo impetratur ſal neutrum amaricans dicti uſus. *Si-*

milis proſapiæ exit *ſal*, ſi *alcali ſal* vel *per ſe* in ſacculo auræ exponitur ac ſuſpenditur, vel quando *lixivio tali pannus* imbuitur, *aëri libero exponendus*. Ita tractu temporis ab alcalino hoc magnete attrahitur acidum catholicum ex aura, proditque ſal neutrum, elutriatione ac cryſtalliſatione facile proliciendum, quod vero magis geneſeos chymico-phyſicæ, quam fructus ſingularis pharmacevtici notam meretur. *Tachenianus* vero ille tartarus vitriolat. tantæ eſt efficaciæ, tamque gratæ *ſecuritatis*, ut per centenarios annuus uſus comprobetur. Siquidem ſal alcali cum ſpiritu vitrioli ſociatum ex vitriolo omne inquinamentum metallicum, maxime venereum, (quod majoris cautionis eſſe debet quam martiale, ob ſepticas qualitates,) præcipitat, & in ſal tale purum medium fatiſcit, ſimulque ſpiritus volatiliores partes captat, quod non ita in *Zvvelferiano* fieri valet.

Arcanum duplicatum eſt antiquioris paulo & communioris uſus. *Paratur* ex capite mortuo aquæ fortis. Quando enim ex nitro ſpiritus acidus exturbari & à ſalis alcali connubio liberari debet: neceſſe eſt, ut interveniat acidum crudius fixius, quale eſt vitriolicum. Unde nitrum cum vitriolo conſociatum, diſſolvitur in unione acidi & alcali; illud ſecedit in ſpiritus vel vaporum flavorum forma, hoc cum acido vitrioli in novum ſal abit, quod olim arcanum duplicatum vel panacea Holſatica nuncupabatur. *Vitium* vero facile accidit ex incuria laboratorii, quod caput mortuum pro more non ſufficienter calcinatum ad recrementorum metallico-terreorum ſeceſſionem, facile de tota vitrioli ſubſtantia in arcanum duplicatum traducat, quod in venereo inquinamento noxam catharcticam ſepticam adferre poteſt. Unde *prudentiores* caput mortuum æqua magis coctione ſolvunt, & adjecto alcali omni metallica ſpurcitie privant, ut ſal medium purum inde elutriari ac inſpiſſari valeat. Quodſi in ſpiritus nitroſi deſtillatione loco vitrioli *terra bolaris*, ſpiritu vitriolico fœta, fuerit adſumpta; tum ex capite mortuo eo *tutius* licet parcius ſal medium tale elutriari valet.

Alia ſpecies, licet *ſpecie non diverſa*, eſt ALCALI cum ACIDO SULPHUREO ſaturatum, & in neutrum tale digeſtivum permutatum. Spiritus enim ſulphuris, idem, ac vitrioli eſt, ſiquidem ex ſulphure cum marte vel venere naſcitur vitriolum, & vice verſa ex vitriolico acido cum φλογιςῷ facile ſulphuris geneſis ſuſcitari valet. Et hæc ſpecies diverſimoda eſt, licet unius indolis in fundamento.

Quando ſulphur nitro fuſo injicitur ac illiquatur, exurit acidum nitroſum, & ſulphureum ſali alcalino immergitur, ac producitur ***nitrum ſulphuratum***, i. e. acido ſulphureo refertum, ſalis prunellæ alias etiam nomine veniens.

Quando præterea ſulphur alcali fuſo illiquatur, fit ***hepar ſulphuris***, quod leni ***uſtulatione*** τὸ φλογιςὸν, ut alterum ſulphuris principium, perdit, ac acidum ita intimius ſali alcalino immiſcetur in ſalis neutri geneſin, quod idem eſt cum tartaro vitriolato vel arcano duplicato.

Quando ***ſulphur*** leni combuſtione uſtulatur ac diſſolvitur, eique linteamina ſolutione alcalina imbuta ſuſpenduntur, ut ***vapores acidi*** per ***magnetem alcalinum*** captari poſſint, miſcetur ita ex acido ſulphureo volatiliſato & alcali fixo ſal neutrum, quod tamen ob parcitatem uſus ſingularis medici non evadit. (Simile exit, ſi ſpiritus vitrioli volatilis cum alcali fixo combinetur).

Nitrum antimoniatum duplicis eſt naturæ, nitroſæ & vitriolico-ſulphureæ; ſiquidem ſulphur antimonii idem eſt mixtum ac ſulphur commune, quod in combuſtione cum nitro acidum ſuum cum ſale alcali unit, & ita in ſal medium vitriolicum abit.

Salia media enixa vegetabilium ſimilis proſapiæ ſunt, ac modo dicta ſulphurata, maximè illa cryſtalliſata, ac pharmaceuticæ operationis; ſiquidem cineres ex combuſtione vegetabilium adhuc ardentes ſulphure conſperguntur, cujus acidum in ſal

 alcali

alcali illiqueſcit, ut inde ſal non lixivioſum ac deliquidum, ſed neutrum cryſtallinum elutriari ac inſpiſſari poſſit.

Singulæ hæ ſpecies ſalis neutri, ex alcali & acido ſulphureo-vitriolico conſtantis, revera non ſpecie, ſed numero, & diverſo manipulationis ſchemate externo, differunt; & ſunt in fundamento nil aliud, quam alcali vitriolatum, *effectus digeſtivi*, incidentis, reſolventis; quod etiam in ſecuritate ac certitudine medica reliquis ſupra dictis ſpeciebus par exiſtit.

d. tartareo-vinoſa. Cum hæc digeſtiva *fixioris* ſint indolis & *magis perennantis* operationis, maximè in viſciditates *in primis viis* ſtabulantes: ſuppeditat nobis gazophylacium naturæ & artis alia, quæ *fluidioris* ac *ſolubilioris* ſunt energiæ, *faciliorisque* tranſitus in *maſſam ſanguineam*, ut ibi mucoſitates totius ſubſtantiæ humorum eo promptius immergendo attenuent, imo alia penetrantiora ſulphurea, gummatoſa, amara quaſi introducant, eorumque unita vi fortiore operationem promoveant. Hujus generis ſunt ſalia illa media ex ALCALI FIXO & ACIDO VINI conſtantia, quæ variæ licet formæ, vitriolicorum in morem, prodire ſoleant, unius tamen fontis ac eſſentiæ quaſi exiſtunt.

Tartarus ſolubilis enim eſt alcali, vel cinerum clavellatorum vel tartari, cum dimidia parte cremoris vel cryſtallorum tartari ſolutoria & defervefcens combinatio, ac in ſicceſcentiam inſpiſſatio. Hic alvinam ſolutionem cum *muci inteſtinalis abſterſione* promovet. Datur *per ſe* ad ℥j. ij. molem ſine impedimento, pro ſcopo dictæ digeſtivæ abſterſionis. *Immiſcetur* potiunculis & infuſis, decoctisque laxantibus aperientibus, tanquam clavis ſolutiva & incitativa.

Arcanum tartari eſt ſal alcali per acetum deſtillatum ſaturatum & in ſal medium converſum. Inſpiſſatur ad ſiccitatem vel ad ſaturationem liquidam, pro nomine arcani tartari ***ſicci*** & ***liquidi***. Ordinario uſu pro digeſtoria *reſolutione* tum *muci inteſtinalis, pectoralis, renalis*, tum pro totius Maſſæ ſanguineæ *ſcorbutica* dyſcraſia ac *hypochondriaca* labe adhibetur. Unde *maximè* reliquis

liquis *ſulphureis* reſolventibus pro temperationis, attenuationis, acuationis ſcopo *admiſcetur*, ut ita elixiria ex myrrha, reliquisque gummi-reſinis, aloë, croco, helleboro, extractisque ceteris amaris ſcorbuticis ſatis proficua componantur. Quinimo uti reliqua digeſtiva, *martialia* utiliter comitari obſervantur duplicia hæc arcana tartari; quod uſualis tinctura martis Zwelſer. ex arcano tartari liquido cum ſolutione vitrioli martis commixto, ſatis clarè edocere valet.

Terra foliata tartari eſt nil aliud quam dictum arcanum tartari per abſtractionem ſpir. vin. rectif. tenerius redditum, ut acrimonia ſalina oleoſo magmate quadantenus obtundatur, unde vel alienam vel majorem qualitatem & energiam non nanciſcitur. *Utilis* vero hæc terra foliata tum ſicca tum liquida eſt in *modo dicto* reſolutionis ac depurationis ſcopo.

Ex eadem proſapia acidi vegetabilis cum alcalino connubio uniti prodeunt ***ſolutiones terrarum oſtracearum*** concharum, matris perlarum, coralliorum, lapidum cancrorum, margaritarum &c. cum aceto deſtillato, cum ſucco citri, cum cremore tartari. Optimi effectus ſunt, cum non plenarie, ſed ſemi ſaltim ſaturantur terræ iſtæ calcariæ oſtraceæ. Unde adhuc ſemi ſuperſtes abſorbendi facultas ſerum ſulphureum imbibit, & ſic mucoſitatem ſanguinis corruptivam præcipitat, ut & ab effectu tali præcipitantis nomen hoc præparatum ſit nactum. Si *recenter cum ſucco citri* mixtio talis fiat; tum tanto efficacius extemporanea hæc formula in febribus acutis, inflammatoriis, lentis operari deprehenditur, maximè in tenerioribus, infantibus; Simplex enim hæc compoſitio *quantam energiam* in *febribus* quibusvis *acutis* dicto colliquationis ſcopo exerat: experientia ſolertem Naturæ miniſtrum docebit. Unde *aquæ perlatæ* ita dictæ ex ſolutione tali concharum & aquis diapnoicis optimè ceſſere hodego olim meo fideliſſimo D. JOH. SAM. CARL, *Archiatro Illuſtriſs. Dnn. Comitum Iſenburg. & Stolberg. experientiſſimo, Patrono & Fautori æternum*

deve-

devenerando, quibus in *malignis*, *lentis*, *inflammatoriis* ſub analepſeos titulo fucoque ſalutariter uti ſolebat. Comprobat hoc fundamentum ipſa etiam *plebeja* experientia, quæ in caſu ab alto ad grumos ſanguinis reſolvendos mixturis extemporaneis ex *lapid. cancr.*, *teſtis ovorum*, cum uno & altero cochleari *aceti vini* deferveſcentia unitis ſummam energiam merito tribuit. *Pharmacia* idem fundamentum, licet nuda magis experientia quam ſolida ratione edocta ac adducta, comprobat per celebratos uſus *mandibul. lucii piſc.* quibus quidem ſpecificam qualitatem tribuit, at fallacia cauſæ detegitur, quando perpenditur, terram ejusmodi animalem per admixtionem aceti eſſe emolliendam, inque palpabilem pulverem convertendam, ut inde medium ex terra calcaria animali & acido vini emergat, colliquationis reſolutoriæ effectu refertum. Quocunque modo has terras ſalſas, ſalia neutra æmulantes, uſurpare placet: deprehendet attentus obſervator, quod plus emolumenti ex ſimplici hac chymia in ſcopum therapevticum ſit redundaturum, quam ſpecioſæ chymiatriæ aliæ nec polliceri nec explere valebunt. Unicam ſaltim cautelam adfero, quod terræ animales ex C. C. uſto &c. ad hanc compoſitionem non ita proficuæ ſint, quàm oſtraceæ, ſiquidem illæ cum acidis in ſtipticam naturam facilè tranſeant, cum contra hæ colliqueſcentem tenuem ſalſedinem diureticam impetrent. Cui adjungi meretur alia obſervatio, quod talia oſtracea ſemiſaturata perquam utiliter ſuperius dictis ſalibus mediis nitroſis vitriolatis admiſceantur.

Prout terræ quaſi mortuæ cum & ab acidis tam inſignem energiam nanciſcuntur: ita mirum duci non debet, ſi **metallica concreta** in ſimili combinatione tantam facultatem in mixtionem ac motum vitalem adipiſcantur. Nolo pro confirmatione aſſerti theoretica exempla vulgaria ex mercuriis ſublimatis & præcipitatis variis, itemque ex butyri antimonii, cryſtallorum lunæ &c. præparatis ſatis efficacibus adferre: ſed, cum in virtutis digeſtivæ evolutione conſtitutus ſim, memoro ſolum

ſpeci-

ſpeciminis loco ***mercurium dulcem***, cujus *digeſtiva*, reſolutoria *energia in muco* non ſolum *primarum viarum*, ſed totius *ſanguinis lymphali coagulo* corrigendo, imo in ſpecialiſſimis, eo ipſo tamen pertinaciſſimis, *venereis inquinamentis*, ſimilibusque *ſcabioſis ulceroſis* corruptionibus invertendis ac eliminandis, tanta eſt, ut neque certitudo neque ſecuritas ab ullo amplius in dubium vocari poſſit. Unde & hoc nomine compoſitum hoc *mercuriali-ſalinum* merito magis magisque commendari, & ea propter dextra præparatio ac adhibitio laudari debet: præſertim cum & teneri, annui infantes non ſolum in primarum viarum obviſcatione, ſed etiam in pectoris catarrhali infarctu extra acutos inſultus hoc remedium ſalubriter perferre ſoleant, & eum uſum experiantur, quem alia celebriora non fœnerantur.

Adjungo huic compoſitioni ex mercuriali & ſalina in mediam digeſtivam naturam traductæ ſimile productum ex ***antimonialibus præcipitatis***, ſub ***ſulphuris aurati*** nomine venientibus, imo mirabilis effectus titulo ditatis, maxime præcipitata illa *cum acido vini*, quæ tertia vice ſecedunt & colorem aurantium reportant, quæ in aſthmate ſuffocativo, ſimilibus pertinacibus obviſcationibus viſcerum quoque, ſummè chronicos affectus procreantibus, ſummæ energiæ eſſe celebrantur, & ita confirmatur, quantum aculeum mixtis metallicis, mineralibus, ſalia teneriora, uti vini exiſtunt, adferant. Prætereo reliqua metallico-mineralia, quæ in hunc cenſum vocari poſſent.

Placet jam, cum hactenus de ſalibus digeſtivis ex media natura prodeuntibus ſpecialiter pro propoſito dictum ſit, pauca quædam adferre, quæ de horum ſalium compoſitorum *principiis conſtitutivis ſeparatim* conſideratis ex deſtinato ſcopo perpendi poterunt, quatenus nempe tum alcalia tum acida energiam digeſtivam exerere ſoleant.

ACIDA *digeſtionem muci ſulphurei* æſtuoſi tenacioris ſiccioris efficiunt, unde ea dicteria emergunt: Man habe einen ſo hi- II. Acida.

tzigen zähen trockenen Schleim, welcher durch kühlende Sachen abgehe und erweichet werde.

Inde acida *vegetabilia aceti*, *citri*, *berberum* &c. in *febribus acutis*, *malignis*, uti & in *paſſionibus variis æſtuoſis* temperamenti ſanguineo-cholerici in ſimplici uſu valdè proficua ſunt. *Tartarus depuratus* in *cremore* & *cryſtallis tartari* in æſtuoſis ſubjectis & objectis olim jam celebre nomen & omen reportavit; unde *hepaticum* remedium ac formula prodiit. Notum eſt, quid *ſalia eſſentialia* ex ſuccis recentibus herbarum ſalſarum, maxime *acetoſellæ*, utilitatis temperatoriæ ac refrigeratoriæ in turgefactionibus ſanguinis variis in ſuperioribus ætatibus jam encomii reportarint; maximè antequam nitri uſus fuerit ſufficienter erutus.

Acida mineralia ſimilem temperativam obtuſionem ſeri acris, tenacis, ſicci, æſtuoſi inferunt in noto uſu julapiorum, tincturarum, clyſſorum: Unde in ſanguineorum ſpongioſorum plethoricorum æſtu ſatis proficua ſunt pro ſcopo refrigerante temperante, & ita ſuccedente privative diuretico. At, cum excretorios motus in pectore ac renibus ſtimulent, in primo loco inprimis *acidum ſalis communis*, in altero acidum *nitri*, licet ſpiritu vini ſit temperatum; ſub hac cautela dexter uſus eò felicius applicabitur.

III. Alcalia. ALCALIA reſtant. *Simpliciter lixivioſa* mucum ventriculi & aliorum viſcerum nimis crude ac vehementer aggrediuntur & colliquant, ut fortior diuretica & in aliis colatoriis roſiva facultas parciorem uſum inferat, maximè ſolitarium, niſi hydropicorum phlegmaticorum ſaburra tantum ſtimulum præcipiat. Parcior enim eorum admixtio in vinis medicatis, elixiribus aperientibus ſatis potentem ſtimulum conciliat. *Cineres* eo ſcopo ex ſpecificis herbis, lignis vino infunduntur vel infuſis amaris admiſcentur, ut mitior inde effectus haberi poſſit.

Terræ calcariæ macræ, maximè ex *conchiliorum* genere, alcalinæ naturæ eſſe judicantur meritò, cum etiam facilè cum

acido

acido quovis efferveſcant ac combinentur. Inde ab effectu etiam dicuntur abſorbentia, cum & in œconomia animali energiam acidum obtundendi, ſalſedines ſeroſo-muceſcentes imbibendi ac præcipitandi blandius, tutius ac utilius exerant.

Calces ***animales*** ex C. C. uſto, ebor. foſſ. &c. crudiores ſunt, & ſtipticum effectum etiam in diarrhoea ac dyſenteria non adeò tutum obtinent: unde rarioris adhibitionis indies magis notantur.

Calx viva extus in chirurgicis colliquantem ac putrilaginem invertentem effectum exerit; tutus calcis vivæ aquæ uſus etiam internus in hydropicis experientia ſatis comprobatur.

Salia volatilia urinoſa tenerum robur nervis conciliant ſine exæſtuatione; unde in *motibus ſpaſticis* decreſcentibus, imò inchoantibus ſalutarem ac ſecuram præoccupationem & ſuppreſſionem motuum ſpaſticorum præſtant; itaque præcipuè medentur motibus hyſtericis, colicis, arthriticis. Utiliter ſalia volatilia hæc, uti ſunt varii ſpiritus ſic dicti empyrevmatici, rectificatione tamen depurati, *cum tincturis alcalinis* combinantur ac temperantur.

De his ***tincturis alcalinis*** pauca huc facientia adferre placet, cum inter digeſtiva non ſolum alcalina, ſed & reliqua temperatiſſimum effectum exhibeant. Sunt vero hæ tincturæ illæ præparationes, quæ ſub nomine tincturarum antimonialium, metallorum &c. veniunt: Nil pro opinione ſuperſtitioſæ chymiatriæ de ſulphure antimonii in ſe continent, minus de peculiari ejus extractione. Sunt teneræ abraſiones ac imbibitiones particularum ſubtilium ſalino-alcalinarum. Unde ſi ſolum alcalina ſalia fuſione ſatis acuata cum Spiritu Vini probe rectificato oleoſo ſatis digerantur: largiuntur tincturam rubram acrem. Si quoque abſtrahatur menſtruum, remanet nil niſi paucum ſal alcalinum. Proinde ſive antimonium cum ſalibus fundatur, ſive regulus cum quarta parte nitri in citrinas ſcorias permutetur, ſive regulus antimonialis reliquis metallis gravidus per nitrum in ſcorias abeat: tum ſingulis his methodis tinctura in Spir. Vin. rectific. oleoſum

digeſtione tranſit. Eſt vero hæc medicina acris ſaporis, & *uſus digeſtivi tenerioris* tum *intus* tum *extus*. *Illic* blandè mucoſitates pectorales & renales abſtergit; unde in juniore ætate catarrhalibus & ſabuloſis ſtaſibus ſuccurrit. Ventriculi mucoſitates abſtergit, modò largius, maximè in intermittentibus, adhibeatur. *Extus* hæc medicina, modo in & ſub digeſtione menſtruum ſufficiente quantitate olei, maximè penetrantioris aniſi, juniperi &c. ſaturetur, egregiam ac ſecuram diſcuſſionem in ſtaſibus ac motibus arthriticis & podagricis præſtat.

Quæ ſalis cum oleo combinatio ita efficax, uti eſt ſaponaceæ qualitatis; ita per alias ſaponaceas compoſitiones confirmatur, ſiquidem non ſolum *ſapo* purior *ſimplex* abſterſivæ facultatis nota experientia eſſe comprobatur, ſed imitationes chymicæ ſapones ***philoſophicos*** dictos produxere ex alcali puro cum oleis æthereis deſtillatis iterata deliqueſcentia tandem unito, qui in tantum correctivum ac excitativum opii aliorumque chymicorum remediorum tranſiere; uti Starckeyana ſimiliaque experimenta edocent.

MEMBRVM IV.
USUS SALIUM DIGESTIVORUM ORDINATIO *AD* DOSIN, TEMPUS, SUBJECTUM, LOCUM ETC.

IV. Cautelæ

Vulgare proverbium eſt, *optima remedia in ſiniſtro uſu eſſe inſtar cultri, vel gladii, in manu furioſi ac infantis*. Unde ſuperfluum nil eſt, ſi id ſedulo inculcetur, quod ſatis dici non poteſt, quodque ſummæ neceſſitatis notam meretur. Etſi vero in uſu digeſtivorum id emolumentum deprehenditur, quod ea ſecuritas in quovis adhibitionis ordine obſervetur, ut

non

non facile alienus & contrarius ſucceſſus etiam ab errore ſuccedat: tamen prudentia therapevtica requirit, omni circumſpectione uti, ut effectus eo citius, eoque certius ac maturius inſequatur. Quamobrem ſpeciminis loco, uti in ſuperioribus fundamenta, documenta & experimenta hujus claſſis digeſtivorum pharmacevticæ delibavimus, jam in calce quasdam CAUTELARUM circumſtantias adferre placet, ad quarum filum reliqua tota ordinatio duci poteſt. ratione

I. *Subjecta*, quibus hoc medicationis genus præcipue quadrat, ſunt quidem omnis ætatis, temperamenti, vitæ generis; ſed *magis juniora*, *plethorica*, *ſanguinea*, *æſtuoſa*, in mucoſas oppletiones ex diætæ ſaburra ac otii exceſſu proclivia. Phlegmatica, frigida, ſenilia, valetudinaria, debilia uberiorem juſto uſum non ita perferunt, quam prioris generis ſubjecta; ſiquidem illis magis ſulphurea amaraque digeſtiva apta evadunt. Cum vero etiam *in* ejusmodi *digeſtivis ſalinis diverſitas* ſpecialis & gradualis notetur: tum ſane *ad indolem ſubjectorum adaptari* meretur. Sic digeſtiva ex ſale communi magis ſunt penetrantis indolis, & tenacioribus viſciditatibus incidendis inſerviunt. Digeſtiva vitriolata media ſunt mitioris acrimoniæ, & fixioris amaritiei, quæ in calidioribus mucoſitates lento impulſu discontinuant ac educunt. Nitroſa refrigerantis temperationis, quæ orgaſticas, bilioſo-ſulphureas acrimonias obtundunt ac evacuant. Parem, imo fortiorem, energiam, licet crudiorem, indeque minus appropriatum uſum, habent acida, maximè mineralia. Abſorbentia colliquantia, acido vegetabili ſaturata habent præcipitandi effectum in æſtuoſis ſub- & objectis, & ſtatu magis p. n. acuto febrili, inflammatorio hectico. 1. Subjectorum

II. Circa *objectum* digeſtivorum illam adfero cautelam, quod, uti remedia alia cuncta *objecto receptivitatis* carentia, nec id invenientia, peregrinum in humores & partes vitales influxum ac turbam inferunt (ſic mercurialia obicem lymphæ coagulatæ non invenientia in ſanguineis ſcorbuticis plane no- 2. Objectorum

 xium

xium effectum relinquunt, quod & in aliis medicationum generibus obſervare licet): ita digeſtiva ſalia quævis, nullum objectum aptum reperientia, in partes teneriores roſionem, in humorum craſin alterationem inferre poſſint. Profecto aniculæ hanc cautelam norunt, quæ puerperis, hecticis, valetudinariis ſalem multum in cibis non concedunt. Nitroſa ventriculo extenuato frigido experientia non ita appropriat, quam æſtuoſo. Unde magis ſub initio morborum, ubi materia adhuc turget & concoquenda exiſtit, quævis digeſtiva conveniunt, quam in decremento, ubi materiæ mobilis jam factæ ſe- & excretio jam ſucceſſit, & ſaltim plenarius ſucceſſus expectandus; imo quando poſt hanc operam exantlatam refocillatio ſaltim Naturæ inquirenda, aut excretionum promotio per alexipharmaca continuanda eſt.

3. Temporis

III. ***Tempus*** itaque opportunum cum ſit incrementum morbi magis: tum etiam initia actus ſecretorii, tanquam *naturæ* Agentis ſuſcepta *molimina*, *ſpecialem temporis utendi notam indicabunt.* Ita v. gr. ſub initia paroxyſmorum febrilium eſt intentio naturæ medicæ materiam viſcidam e- ac de-molliendi, quam intentionem meritò miniſterium medicum adjuvat, eo temporis puncto adhibendo digeſtiva, vel occupat una vel altera hora hoc tempus. Et, uti ante paroxyſmum intermittentium digeſtiva opportunè adhibentur (ſicut finito paroxyſmo excretio per ſe ſuccedens alexipharmacis ſimilibus expediri ſolet): ſic in quavis primæ digeſtionis læſione ante paſtum commodè uſurpantur digeſtiva. Digeſtiva illa ex abſorbentibus acido ſaturatis pro præcipitationis ſcopo ſub actu æſtus acuti ad ſecretionis ſeri impuri promotionem adhibentur. Temperantia nitroſa pariter hunc temporis typum ſervant, ſpecialiusque in paroxyſmo quam poſt illum, & magis verſus noctem quam diem adhibentur.

4. Doſeos.

IV. *Doſeos* ratio ſpecialem conſiderationem ut ſortiatur, non æque neceſſarium videtur, dum correctio *materiæ* intendatur, *ad* cujus *quantitatem proportio doſeos* & *ejus repetitio* neceſſa-

neceſſaria exiſtit. Quo fundamento generali notato facile exceſſus & defectus declinari poterit, ut neque timiditas paucis granis parcat, neque fiducia credula ingluviem ingerat. *Scrupulus unus* cum *dimidio abſorbentis* ſufficit. Parcior repetitio hic neceſſaria eſt, quam cum amara pro humorum balſamica correctione aſſumenda ſunt. *Infantibus* 2. 3. grana ſufficiunt. Parcior, ſed iterata, doſis etiam *ſenſibilioribus* proficua ac toleranda evadit. *Vehiculum* eſt cochlear vini vel aquæ. *Tenuis pulveriſatio* in *alcali vitriolato* tenerum ingreſſum in mucoſitatem ventriculi promovet.

V. **Correctorium connubium** digeſtivis num neceſſarium exiſtat, pariter diſpiciendum. Nimirum an ſalia ejusmodi præter deſtinatum uſum minus ſalubrem effectum in humores & colatoria exerant, qui ſcrupulus jam ſuperius eſt ſublatus, ac prærogativa inde ſalium uſui præ aliis eſt aſſerta. Notum eſt enim, quod martialia comitari debeant aperientia reſolventia, ne crudior tonus in obſtructionem viſcerum tranſeat; opiata varia corrigentia acida, alexipharmaca, ne narcotica vis, motus nimietatem compeſcendo, motus ſimul utiles excretorios ſupprimat. Ejusmodi medela num præmitti, conjungi & ſubjungi debeat, merito inquirendum. 5. Correctionis a. paſſivæ.

Alcalia quidem pura fixa humores & ſolidas partes in abuſu lædunt; unde per *acida* in neutram naturam vitalitati magis amicam transmutantur.

Acida coagulant humores in exceſſu; Unde non niſi in æſtuoſis ſub- & ob-jectis *parcior* eorum uſus indicatur.

Nitroſa coagulant in media conſiſtentia lymphalem gelatinam: Unde *digeſtivorum vitriolicorum* connubium reſolutionem maturè præſtat, ut acrimoniæ ſulphureæ temperatio ſine detrimento fiat.

Abſorbentia cruda *acido vegetabili* ſemi ſaturantur, ut terrea & ſalina abſorbendi ac præcipitandi facultas ſimul inſit. Cruditas terrea pura prægravationem viſceribus inferret; plena ſatura-

ſaturatio acrimoniæ & aciditatis obtuſionem impediret. Unde etiam talia colliqueſcentia terrea cum *ſalinis* maritantur, ut terreorum ſeceſſus ex ſanguine poſt factam præcipitationem in colatoriis ſtimuletur. Imo ſalutariter materiali tali digeſtioni & correctioni etiam *motus alteratio* conjungitur per *diapnoica fixa*, per *antiſpasmodica cinnabarina* &c. Qui ventriculi *ſenſibilitatem* vel debilitatem opponunt, à ſalibus & pulveribus magis prægravandam; iis *poſt cibos* magis, quam jejuno ſtomacho, ingeri, imo pulveres ſalini magis *oleo* aliquo *aromatico*, ut Nuc. moſch. &c. condiri, vel *ſtomachicis* involvi poſſunt: ut inter alia ſal commune, unde prodibat compoſitum *ſal ſacerdotale* dictum, (quod Eliæ temporibus à ſacerdotibus contra affectus catarrhales, vitia ſtomachi, in ſpecie viſus debilitatem adhibitum eſſe perhibet NICOLAUS MYREPSUS ALEXANDR. in Tr. *de Compoſ. Medicament. Sect. II. de Salibus.*) Item ſal. ammon. unde *ſal Marelli* nominatum emergebat, de quo vid. *ibid.* Quæ compoſitiones uti haud contemnendæ, ita meritò à Viro Excellentiſſ. D.D. & Prof. BAIERO, Patrono ſummè venerando, laudantur ac comendantur. Quodſi ulceroſa *phthiſica* conſtitutio vitalitatis ſalium maxime nitroſorum repetitum uſum diſſuadeat, ſimilisque teneritudo valetudinaria, aut nervorum ſpaſmo debilitatorum, uti loquuntur, imbecillitas cruditatem ſalinam *multum perferre non* poſſit: fructus tamen *prognoſticus* inde prodit, diſpoſitionem hecticam ſub tali intolerantia in ulceroſum ſtatum tranſiiſſe, & motuum inde exacerbationem per oleoſa, emulſiva, gelatinoſa demulceri poſſe ac debere. Siquidem in tali ſtatu, ubi ſalia temperationem amplius exerere nequeunt, ut in teneris, decremento morbi: ibi *oleum amygdal. dulcium vicarias* vices inſigniter præſtat, prout *infantum*, *hecticorum*, *colicorum*, *nephriticorum*, *hyſtericarum* &c. teneritudo experiri ac edocere valebit.

b. Activæ. VI. Prout itaque patet, quod *digeſtiva ſalia* paucam correctionis gratia ſocialitatem poſtulent: ita inter cautelas utiles reciprocus, imò magis inverſus, rerum ſtatus referri meretur;

quod

quod nimirum talia ſalia multorum aliorum remediorum commodum tum **adjumentum** tum **correctivum** evadant. Sic notum eſt certa & quotidiana experientia, quod *emetica* præmiſſis & conjunctis digeſtivis longe citius, tutius, certius, operentur. Sic etiam *purgantia* catoterica ſalino hoc ſtimulo juncta blandius, promptius, efficacius operantur. *Martialia* & magis *alia adſtringentia ſecurius* hoc vinculo effectum ſuum exerunt, ut ita cruda adſtrictio avertatur. Prout *intermittentium cura* per digeſtiva certius ac ſecurius longe ſuccedit, quam per chinata &c. ſupprimentia: ita ſi nimietas motus oppreſſionem exigat, tuto digeſtiva *præmittuntur* ac *conjunguntur*; imo, ſi ſuppreſſio cum detrimento ſuccedente fuerit perpetrata, tum illius noxa per ſalia aperientia corrigi, ac legitimus morbi, imo vitalitatis, ſtatus revocari poteſt. Par ratio eſt *narcoticorum*. *Opiata* enim per **acida** eximie cicurantur: Unde opii extractio fit per acet. deſtill; Cumque alcalia pariter correctionem talem adjuvent, fit præcipitatio per oleum tartar; & ex præcipitato extrahitur cum ſpiritu vini, vel tinctura antimonii, vel ſpiritu urinoſo (ad cicurationem inchoatam promovendam) *tinctura anodyna* ſecura. Qui proceſſus uti ab experientia comprobatur: ita ſatis illuſtrari poterit exemplo venenorum vegetabilium, *cicutæ*, *napelli*, *ſolani furioſi*, &c. obtuſione per acida. Similis ferè energiæ evadunt **alcalia**, ut v. gr. experimentatores *myrrham* in ſulphurea orgaſtica energia mitigari poſſe putent per olei nitri fixi irrorationem. Quum vero utraque ſalia vim ſpecificam cum generali ſulphurea balſamica nimium turbare judicentur: tum **Salia media**, qualia ſunt *arcan. tartari*, *tartar, ſolub.* &c. pro extractiva ac conſervativa clave cenſentur, uti in *infuſis medicatis reſolventibus laxantibus* adhibenda, etiam in parca doſi proficua, ita etiam ad *extractiones* varias *amaras balſamicas* facilitandas & acuendas. Tranſeo alia exempla ex mineralibus, ubi tum intenſivum, tum fixativum effectum exerere ſalia, variæ mercurii, antimonii ſolutiones, præcipitationes edocent.

F VII. De-

c. negativæ.

VII. Denique in ſpeciminibus cautelarum allatis inſeri poterit illa, quæ in genere ex ſuperſtitioſa chymiatria promanavit, idololatria; qua *ſimplicium* vel *notorum ſubjectorum* uſus, ex fundamento in Præfatione deſtructo rejici, & contra *ſpecioſorum eductorum ſubſtitutio* eligi ſolet. In genere hic ingratus contemptus auxiliorum ex triplici naturæ regno nobis jam paratorum ac proſtantium *ſatis notari non poteſt*, dum ita uſus deſtinatus ſpecificorum, uti generalium pharmacorum, per ſcrupuloſa & ſpecioſa artificia magis deſtruitur ac ſupprimitur. Unde v. gr. Veterum experimenta de uſu vegetabilium & ſpecificorum cur imitari & iis frui cur non poſſimus, certè ea cauſa ſubeſſe poteſt, quod curioſa tractatio & adaptatio ad palatum jam ex Chymiæ ſubtilitate magis cordi habeatur, Veteres verò ſimplicia ſimplici præparatione nudæ in aqua coctionis, vel adhibitione in tota ſubſtantia in uſum traxerint. Quæ res multis inſuper exemplis pharmacorum triplicis regni demonſtrari poteſt. Suffecerit verò in caſu ſubſtrato ſalium digeſtivorum hunc errorem tetigiſſe. Sic multi ***ſimplici nitri uſu*** non ſunt contenti, quem tamen tot myriadibus effectuum ſalutarium exemplis comprobatum deprehendunt. Eligunt fortè ſolum ob ſalſi ſaporis fugam *ſpiritum nitri dulcem* vel *eſſentiam* ſic dictam *nitri balſamicam* ex oleo nitri (quod ex nitro per oleum vitrioli ſine præpoſita aqua expellitur) cum Spir. Vin. rectif. dulcificato. At experientia probat, quanta differentia accedat, cum ejuſmodi acida longè *fortiorem* ac crudiorem *diureſeos impulſum* inferant, qui non rarò in hypochondriacis tranſit in *mictum cruentum*, cum contra ſimplex nitrum veluti experimento non fallaci motus & materias orgaſticas in renibus quàm blandiſſimè mitiget & expediat. Ita alii *oleum vitrioli* pariter *dulcificare*, ac arcanum inde aſtrale & his temporibus venum exponere nituntur magno quidem promiſſorum hiatu, cui verò effectus non reſpondet. Simplicem ita multiplicis variationis encheireſin ac utilitatem ***alcali vitriolati*** per centenarios uſus comprobati grandiloquæ ſuæ chymiatriæ abjectam non reputant.

putant. Ita alii cum exoleto ſale medio vinoſo ***arcani tartari*** &c. non amplius volunt eſſe contenti, hincque ex *alcali* & *acido volatili* compoſitiones arcanioris & majoris uſus imitantur, pariter exoptatum effectum non aſſequentes. Quamobrem & hic valet axioma ſapientis illud: *à rebus multis ſpecioſis ſi vera ac utilia ſeparaveris, parùm conſequeris, ſed optimum.* Et in pharmacis ſemper attentus oculus & manus ex ambage ad paucitatem & ſimplicitatem relegabitur, atque ita gratam jacturam vanarum pollicitationum medicarum faciet.

VIII. Illa etiam adhuc obſervatio non prætermitti hic debet, quod ſæpe, uti in aliis ſubjectis, ita *in ſalibus magna* & ſuperſtitioſa *confuſio* perpetretur *in* eorum *externo uſu perpendendo, transferendo* hunc *in uſum internum*, qui, cum non in actum phyſicum, ſed vitalem incidat, non ex materiali quidem habitu à priori, ſed ab effectu & poſteriori addiſcendus eſt, ac ita tum *incerta trepidatio*, tum *vana pollicitatio evitanda.* Ita v. gr. ſi quis *acidorum* vim roſivo-ſolutivam in metallica duraque concreta deprehendat, ſicque deleterium effectum illico paucis guttulis teneritudini texturæ animalis ominetur: is riſui ſeſe aniculis exponet, licet exempla ſuppetant, ubi ſpiritus nitri vel aquæ fortis venenoſitas abſolute ſit, etiam in medicina forenſi, afferta. Inſuper ſi *ſalia media vitriolica*, *culinaria*, *nitroſa* etiam lapidoſa concreta atterere obſerventur; quis abhorrere poſſet uſum medicum, niſi qui & guttam lapidem cavando pertimeſcere velit? Nitrum præterea extus carnem & ſanguinem animalem floridum reddit ac conſervat: Intus acrimonias ſulphureas refrigerat in fluidis & ſolidis; lympham vero magis coagulando quam fluidificando alterat. Quamobrem in talium uti & aliorum remediorum uſu magis *ad effectum medicum à poſteriori*, quam ad qualitatem phyſicam à priori *reſpiciendum, nec judicandum, quid* ex præſumptionis hypotheſi *fieri poſſit, quam quid actu fiat.* Ad hanc metam, hùncque lapidem lydium inventio & applicatio indicationis & indicati eſt ducenda.

d. poſitivæ experimentalis.

e. Uſus externi. IX. Vſu ſalium mediorum EXTERNO commendando tractationem obſignare placet. *Sal commune* & *nitrum* in *clyſteribus* ſtimulum laxantem ac demulcentem afferre, pharmacia edocet. *Sacculis diſcutientibus ſal commune* inſerere domeſticum eſt experimentum, maxime cum calor diutius ita conſervetur. *Nitrum* in *odontalgia ſpaſtico-æſtuoſa* denti cavo etiam indi pro temperatione exempla proſtant. Parcior de cetero eſt uſus externus. *Alcalia* & *acida ſepſin* inferunt *carni luxurianti*, maxime ſi cum *metallis* vel *terreis acriora* ſint reddita. *Sal culin.* & *nitroſum* ut *domeſticis* uſibus diætæ ſatis gratum & grave eſt, maxime pro ciborum animalium conditura ſalubri: ita & *agricultura* ipſa à ſalibus ſubſidium reperit egregium. Sic enim nondum effluxit biennium, à quo D. D GÖTZIUS, *Phyſicus Norimbergenſis Celeberr. Patronus & Fautor benigniſſimus, colendiſſ.* vidit numerum vix credibilem granorum tritici & hordei, ex unico tritici hordeive grano à Medico quodam eruditiſſimo & Philoſopho vere Practico productorum, quod ſola horum ante ſationem maceratione in ſolutione quadam, cujus primaria pars ſal commune, cum alio viliſſimo quidem viſo, ſed utiliſſimo, ſale junctum, fiebat. Qui modus augmentandæ vegetationis ſimpliciſſimus non paucos ſanè utiliter naturæ ſtudentes ſimplicitate ſua vera atque utili in admirationem rapturus eſſet, ſi eum propalare ab Autore clariſſimo venia impertiretur. Adeant interim harum rerum curioſi *Annales Vratislavienſes*, ubi tum varii hujus artificii modi, tum horum ſucceſſus, tum etiam potiſſimi ejusdem fontes fideliter enarrantur; Quin nec legiſſe forſan pœnitebit exiguum quidem mole minusque notum, ſolidum tamen & candidum, libellum Büdingæ An. 1717. forma 8va editum, cujus Tit. Etliche leichte und bewährte Künſte, wie der arme Landmann mit wenigen Köſten und leichter Mühe ſein Gut und Nahrung verbeſſern könne ꝛc. ꝛc. ubi præſertim fidus ille ſalis communis in ſupra dicto noſtro vegetationis proceſſu laudatus Achates, omnem fere facit paginam.

Ita

Ita & *lixivia*, *cineres*, *ſcoriæ* variæ *ſalinæ*, *ſaponaceæ* culturam telluris pinguedine adjuvant, uti quidem locis iisdem allegatis videre eſt: quippe ſalſedo humiditatem terræ diutius cuſtodit, & ita ſeminis nutrimentum conſervat.

Ultimo vero etiam *ſalis* noſtri **communis** uſum in *Chymia ſublimiori* non penitus rejiculum eſſe, fidem faciunt Illuſtr. D. STAHLII im billigen Bedencken über D. J. BECCHERS Naturkündigung der Metallen *p. 441.* legenda verba: Wie auch - - - ſolche gründlich zu begreiffen und wahr zu machen. Quibus licet materiam, de quo illi ſermo, minus expreſſe eloquatur, ſed potius arcani quid iisdem velare velle videatur; *ſalis* tamen *communis* hic potiſſimum rem agi, illi facile judicabunt, qui *ejusdem* zufällige Gedancken von dem Streit über dem ſo genandten *Sulphure*, & quidem *p. 313. ſeqq.* ut & Beweiß von den Saltzen *p. 141. ſeqq.* itemque *Fundament. Chym. Dogmat.* & *Experiment. p. 62. §. 35.* nec minus BECCHERI *Phyſ. Subterran. Lib. 1. Sect. V. Cap. III. No. 17. p. 403. ſeqq. Ejusdemque Supplem. II. §. 187. p. m. 790. ſeqq.* conferre voluerint. Cui forſan etiam fundamento tot decantati tum in BECCHERI *Concord. Chymiæ* legendi, tum hic & illic venditati proceſſus de *oleo ſalis* ortum ſuum debent. Quæ quidem hic tantum indicaſſe ſuffecerit, cum Alchymiam ceterum ſuis lubentes relinquamus amatoribus, ea potius, quæ ante pedes ſunt, curantes.

Grates ceterum DEO T. O. M. pro præſtito hactenus auxilio & gratia habeo agoque maximas, ejusdem continuationem ac ductum per SPIRITUM SUUM SANCTUM in omnem veritatem humili mente expetens in benedictum felicemque

F I N E M.

A*Lma* Salus *Te porro beet* Dulciſſime Amice,
Teque regat ſtimulo molliter usque ſuo!
Qui Salium *egregio nobis conamine laudem*
Diſſeris, utilius queis nihil orbis habet.
A Salibus *redit ipſa* Salus, *quæ primitus iſthoc*
Corporeis fuerat glutine nexa fibris.
Stamina ſunt teneræ glebæ *ſubtilia, vinclo*
Quæ laticis *gaudent intimiore,* Sales.
Undai *ſociant* oleique *hi fœdera, motus*
Jugiter illorum particulasque fovent.
Hi penetrant, reſerantque & calcar inertibus addunt,
Figuntque igniculos, asperiora domant.
Hinc vigor, *hinc* ſapor, *hinc vitæ durabilis ordo,*
Quo vel reſtitui machina læſa queat.
Scilicet hâc Summi vis enthea FLAMINIS *umbrâ*
Pingitur; unda, oleum, ſal*que* ſalutis *idem.*
Primi olim ſolidans naſcentia ſemina mundi,
Atque renaſcentis ſemina prima creans.
Pectore quod ſordes pellit, ſtimuloque ſalubri
Corda movens, animæ fit medicina malæ.
Hinc vegetum mentis, dia hinc Sapientia, *robur,*
Quæ Sanctos *fatuo reddidit orbe* Sales.
Explorata Tibi ſenſuque probata ſagaci
Eloquor, ò animi portio chara mei!
Qui Patrem *primo nactus, qui deinde Magiſtrum,*
Ambo pia & ſacro corcula fœta Sale:

Ipſemet

Ipſemet expertus ſuperos in pectore motus,
Vim ſapidam, vitæ ſpicula blanda novæ;
Quæ ſit & ægrotæ mentis certiſſima, quæ ſit
Corporis afflicti fida medela, tenes.
Eximium teſtor ſpecimen, condita Sophorum
Hæc Sale *ſalvificis themata de* Salibus.
Macte animo; jam Doctor *ovas: quod* IHOVA *ſecundet*
Inque hominum vertat commoda multa DEUS!
Ut quos crudi urgent tenuantia tormina morbi,
Et Sacro *&* Medico *Tu* Sale *rite juves.*

Nobiliſſimo Doctiſſimoque
DOMINO CANDIDATO
in amoris τεκμήριον P.
J. C. Z. M. P. E. C.

CUm Salis enixi genium dotesque benignas
Et chymice & medice, Te reſerare juvat;
Indubie ſapient noſtram diſcentibus artem
Hæcce tui ingenii fercula miſta ſale.
Augeat hunc, voveo, Summi Sapientia JOVÆ,
Et praxin læta proſperitate beet!

Sic digniſſimo
DOMINO CANDIDATO
Amico ſuo integerrimo gratulabundus ex animo precatur
G. GERLACIVS.

DA wo der Hunger kocht / iſt ſelten was zu hart /
Dem matten Arbeits-Mann ſchmeckt alles gut und zart:
Er iſſt und ruhet wohl auch bey den groben Speiſen.
Dem Weichling aber muß der Medicus zwar weiſen /
Was allerdings geſund und leicht verdaulich ſey;
Doch wohnt dem Müßiggang das Kränklen immer bey.
Die **Arbeit** iſt hiermit **vertheilend** Saltz zu nennen.
Will Er uns **Wertheſter** / noch beſſers lehren kennen;
So giebt die Praxis erſt den Grund der Sätzen an /
Und zeigt / daß er mit Recht Herr Doctor heiſſen kan.
Bleibt dann die weiſe Kunſt mit Einfalt recht gewürtzet /
So wird Sie nimmermehr mit ihrem Ruhm geſtürtzet.

So reimt ein Ungenannter
Doch ihme wohl bekannter
Der für gelehrte Dünſt
Die Klugheits-Einfalt wünſcht.

Madrigal!

Schlecht und recht ſind güte Mittel;
Wer ſie gebraucht kan nicht verderben:
Denn bey den allergröſten Klagen /
Wird doch nicht leicht ein Krancker ſterben;
Und von dem Artzt muß man das Beſte ſagen.
Herr Peyer ſiehet eben dieſes ein /
Und läſſet ſich die Saltzen lieber ſeyn /
Als man ſie ſonſten acht:
Sie ſind verſchiedner Art /
Nach der dreyfachen Urſprungs-Erden /
Und müſſen insgemein gerühmet werden:
Hier wird ein DIGESTIV recommendirt /
Das ſich ſelbſt lobt / wie ein gewiſſer Artzt /
Der ſchlecht und recht damit curirt.

Dieſes wenige überſchreibet nach ſeiner Obliegenheit dem Herrn RESPONDENten **ein ehmaliger** Commilito **und ergebener Diener**

JOH. AVGVSTIN. STöLLER,
Windsh. Franc. M. St.